

John Carter Brown Library

Purchased with the assistance of the

MARY ANN LIPPITT

BOOK FUND



12-09d

R E R U M
ANGLICARUM
SUCCINCTISSIMA
CHRONOLOGIA,

*In qua brevi compendio &
Anglica & Scotica gentis memo-
randa describuntur*

Opera & studio


R. P. F. GABRIELIS BUCELINI,
Ascetæ Theologi Imperialis Monasterij
Weingartensis, Prioris S. Joan-
nis in Veldtkirch.



*Cum facultate & Privilegio
Superiorum.*

FRANCOFURTI,
Sumptibus viduæ JOANNIS GÖRLINI.

ANNO M DC LXIV.



1852

REVERENDISSIMO PRÆNOBILI
& Amplissimo Præfuli ac
Domino Domino

GEORGIO,

Illustrissimi Beatissimæ Virginis & S.
Gregorij, vulgo Scotorum, In Urbe
Vienenfi Cænobij Abbati Dignissimo, Sacræ
Cæs. Majest. Consiliario &c. Domino
Domino meo observan-
dissimo.



*Refuga nunc venit ab Ang-
lis Scotisq̄, Anglia & Scotia, Ve-
teres in Germania sedes quarens.
Et quorsum potius, quam ad faci-
le Princeps Scotorum in Germania
diverterent Monasterium? hospita
Divi BENEDICTI tecta,*

*Proto - Apostoli sui Gregorij Batrocinia, Georgij sub-
sidia rogatura, qua non uno ab dracone, sed Lernis mul-
torum capitum innumeris affligerentur, postquam in-
cola prima primævi Apostolatus signa dejecerant, de-
victa Gentilitatis Treophæa subruerant, patefacto mon-
stris omnibus aditu, solis exclusis, quibus & spes & sa-
lus Regni debebatur. Perdidit in seipsa, ipsamet se
Anglia, nusquam securior quam extra seipsam, absq̄
Fide erga DEVM & Reges facta, caput ipsa detrun-
cans suum ut Lerna multorum capitum esset. Et vero
debebantur hæc plaga primo sceleri, cum, quod imposue-
rat Christus, capiti renunciarent suo crederent, quod*

tamen turpissimo ad omnem posteritatem exemplo,
 ipsi detruncarunt. Et quod capitibus huc usq; ste-
 tit, deinceps stabit, Libertas tam fœda quam misera,
 sine capite esse contenditum? Contendunt tamen
 Acephali, eo miserandi magis, quo magis valere se pu-
 tant, ut sine capite, sic cerebro. Condolet hisce nemō
 magis, quam qui Benedictino sunt spiritu, & merito,
 quia quantum illi ante casum primum Angliæ, tantum
 Angliæ primo felicitatis exordio illis debuit. Atq; uti-
 nam adverterent, ubi primum exerrassent. Ego profu-
 gis viam praeo, & Angliam Scotiamq; qua prima fe-
 licitatis suæ destruxere signa, ad proxima adduco, &
 una hâc Dedicacione, infelicissima Genti apertè demon-
 stro, si Georgij lancea Lernas permittant, Gregorij
 Magni sui Apostoli fidei se credant, Magno Benedicto
 restituant, qua eripuerant, felicissima olim genti, omnia
 denuo ex animi sententiâ successura. Hac ex causa
 Historiam Angliæ & Scotia Tibi consecro, & ad pul-
 cherrimum Angliæ & Scotiæq; pietatis in Germania mo-
 nimentum, Scotos Anglosq; nimium priscis dissi miles
 manuduco, Ad monasterium Tuum amplissimum
 splendidissimumq; ex quo facile de cæteris quoq; Scoto-
 rum in Germania Cenobiis ominentur, tempora illa
 cum sua atate conferant, & causas agnoscant suæ infe-
 licitatis. Vale Reverendissime & Amplissime Antistes,
 & adductos à me hospites, Benedictina charitate fove
 & lucrare. Veldtkirchij Rhatorum. ipsa Magni Gre-
 gorij. Tui Monasterij & Anglorum potentissimi
 Tutelaris anno 1664.


R. mæ Prænob. & Amplissimæ

Dnois Tuæ

Servus in Christo devotissimus

P. F. GABRIEL BUCELINUS.

Anglia



*Anglia Scotiaq; Compendio-
sa Descriptio.*

BRitanniæ commune olim nomen ,
Angliam, Scotiam, Hiberniam &c. complecte-
batur, hodie Anglia cæterarū omnium potita,
ut potestate, sic & nomine complecti censenda est.
Temperatissimo situ est, frigore non minus hyemis,
quam calore æstatis à mediocritate laudatis. Illud
gratissimum humanæ vitæ, nusquam in Europæ dies
longiores breviores noctes esse, & has quidem nun-
quam sine aliqua luce. Illud quoq; rarum, sylvas
omnes à carnivoris bestijs immunes esse, & terram
universam à serpentibus. Abundat frumento & vi-
no, sed & omnis generis necessariis, ovium inpr-
mis innumerabili copia, unde à lacte, caseo, lana,
magni proventus. Insularum maxima & præcipua
est Albion, quo nomine Anglia & Scotia continen-
tur, inde laus proxima Hiberniæ. Albionis major
pars, quâ in meridiem vergit Anglia dicitur, cujus
crassior aura est, nubium vero metuenda densitas;
unde nebulæ frequentes, imbres, & ventorum tur-
bines. Terra pinguis est, unde frumenti tanta est
copia, ut Angliam Cereris domicilium, ultro Or-
pheus appellet. Auri & argenti fodinis non caret
provincia, stanno tamen & plumbo ditior, quæ ob
præstantiam tota Europa expetuntur, Fluviorum
præcipui sunt Tamesis, Humbrus, Trenta, Ousa
& Sabrina, mare tamen piscium copia & præstantia
longè fluvios antecellit, ostreorum ad miraculum

sapidorum & concharum feracissimum. Urbium nobiliores sunt : Londinum, Eboracum, Cantuaria, Bristolia, Glocestria, Salopia, Vigornia, Oxonia &c. Anglia tota dividitur in Comitatus triginta novem. Ex his Northumbria olim Regio titulo insignis fuit. Irrigatur fluvij Tina, Coqueda, Tueda, Blitho, Alauno, & Wanspeto. Exurbibus præcipuæ Bervicum & Ne W castle, quæ ob portum longe securissimum & commodissimum celebratur. Cumbriæ Comitatus & ipse amplissimus suos quoq; olim Reges habuit. Metallis dives est, atq; inprimis cupro, fluminibus irrigua varijs, ornata Urbibus & oppidis, quæ Rom. olim præsidio tenebatur. Cornubiæ Urbes præcipuæ sunt Heilstō, ubi stannū signatur, Peryn, Arvenack, Grampond, Leskerd, Strattō, Bodman Tamerton &c. fluvij & amnes Fa Way, Vale Loo, Liverus, Haile, Alan & Tamaræ. Devoniam portus commodissimos habet, stanno dives est, sæcunda agris & pratis cultissima urbibus splendidis, tota civilis, & amica hospitibus. Dermouth ob portus commoditatem frequentatur plurimum Plimmouth, etsi alijs multis, præcipuè tamen ut Francisci Drake Equitis (qui biennio & decem mensibus totum orbem pervolavit) patria celebratur. Exonia & plurimæ aliæ urbes, & ædibus nitent & incolis. Sed & Herculis Promontorium in hâc provincia ut & multa alia inter celebriora referuntur.

Comitatus Somersetanus præter agri & pascuarū commoda, adamantes gignit orientalibus splendore nil cedentes, modicum molliores. Civitates insigniores. Bristolia, Welles, Bathonia &c.

Dorcestriensis Comitatus Parochias seu celebriores Ecclesias habet 248. fluvios, Carrum, Limam, Trentum, Sturum, Alenum Juellum &c. Urbes, Durnium, Birtport, Limam, Ehiburnum, Weymoth, Poole, Winburn &c.

Glocestria præcipuas Ecclesias numerat 280.
Urbs præcipua Glocestrium. inde Gampdena, Cice-
ster The Wkesburg &c.

Eboracensis Comitatus amplissimus & nobilissi-
mus Eboracum habet metropolim Eboracum ha-
bet, & 39. alias civitates, Ecclesias principaliores
459. fluvij & amnes majores Calderus, Danus, Arus,
Wersus Nidus & Oufa.

Lincolniensis à metropoli dictus, Parochias &
Collegiatas Ecclesias habet 630. fluvios Lud, Tren-
ta, Idel, Dan-Wellandt, alias inter urbes Stanford,
Grandam, Ancafter, Cro Wland, Spalding, Bo-
ron &c.

Norfolcia, præter mercatu insignia oppida 625.
pagos numerat, fluvij & nemoribus, sed & pratis &
agris bene instructa provincia. War Wicensis
Comitatus à Metropoli dictus nobiliores Ecclesias
158. continet, urbes Learningthon, Uchindon, Har-
burij, Manchester, Coventry, Stradfort &c.

Northantoniensis Ecclesiarum insignium, præter
minores, 326. habet, à metropoli cognominatur,
inde Bracaley, Torcefter, Grafton, Daventrey, We-
don, Higkam, Welledon &c. urbes præcipuæ sunt,
fluvios habet Usam, Avonam & Wellandum.

Cantabrigia Metropolis cognominis Comitatus,
Universitatem habet oculum totius Angliæ, Inde
urbes, Royston, Rech, Bur Well, & Ely. Ecclesiæ
insignes 163. fluvij Camus & Sturus.

Oxonienfis ab Oxonio dictus, Parochias habet
280. Urbes præter metropolim, Blaback, Burford,
Minsterlovel, Withnei, Wodstock, Banburg, Bur-
cefter, Tama, Dorchefter & Watlington.

Buchingham Parochias numerat 185. fluvios Ta-
mesin, Colnum & Usam. Urbes Marlow, High-
Wicha, Colbrocke, Amersheim, Crendon, Panell,
Neuport &c.

Herefordiensis Comitatus parochias 176. continet, amplius elegans, dives est Dorius fluvius & Munovius magnam partem irrigant.

Essexiensis Comitatus Parochiarum 415. lata & pinguis est provincia. Urbes : Camalodunum, Colchester, Leiton, Beamfleot, Leeg, Rochford, Angre, Raleg, Dunmo W, Blaiſſy, Earles, Colne, Barcklo W, Walden &c. flumina Tamēſis, Ley, Chelmer, Froſch W el & Colne.

Southamtonia parochiales Eccleſias habet 253. amnes Sturum, Avonam, Teſt, & Hamble-civitates majores Wintoniam & Southanton.

Mitleſexia tantum 73 Parochias numerat, ſed inter Urbes metropolim totius Angliæ Londonium. inde Weſtmonaſterium &c.

Cantia Cantuariam metropolim habet. fluvios Tamēſim, Darentum, Sturum &c.

Suthſexia claudit ſuo ambitu Parochias & Collegiatus Eccleſias 312. Sylvis & pratis amœniſſima, Urbes Ciſtecer, Arundell &c.

Anglia tota cum Scotia & Hibernia, Angelorum olim delectatio, Sanctorum habitatio, hodie fida nemini, DEO ut Regi Regi ut ſibi, ſtagnat ſanguine, vaſta jacet crudelitate, varia, & majorem partem, ut ſibi quiſq; fingit, Religione. Cui bona omnia & pacem animitus boni Omnes apprecantur.



Adumbrata obiter Angliæ facies
pro aliquali eiusdem Cognitione.



† A

RERUM

RPJ



R E R U M
BRITANNICARVM
cùm Sacrarum, tùm
profanarum
S U C C I N C T I S S I M A
C H R O N O L O G I A.

A U T H O R E

*R. P. F. Gabriele Bucelino, Ordin.
S. P. Benedicti Asceta Presbytero Theo-
logo, Priore S. Joannis Bapt. in
Oppido Veldtkirch.*

-
- | | |
|-------|---|
| A. C. | Nascitur Christus Orbis Servator Kimbelini Britannorum Regis anno Regni sexto, quo ipso tempore, summa, uti toto orbe, pax fuit, sic & Britannia Cæsari tributaria, plurimum floruit. |
| 1. | |
| 5. | Kimbelino Regi duo nascuntur filij, Guiderius & Arviragus. |
| 22. | Kimbelinus Rex moritur, succedit Guiderius filius, qui tributum Romanis pendere recusat. |
| 34. | Morte sua gratiosissima liberat nos à morte æterna CHRISTUS JESUS |

A. C.

- Servator noster, anno Guiderij Regis Britanniae duodecimo.
41. S. Jacobus Apostolus cognomento Major Britannias invisit.
44. Tiberius frustra tributum exigens, Britanniam bello petit, Guiderius hostes repellit, horum tamen fraude perimitur, Arvirago ejus fratre succedente, & rem feliciter initio gerente, mox fortunâ Rom. terro, & tributum spondente.
45. Arvirago Regi copulatur solemniter Tiberij filia.
52. Arviragus à Romanis deficit, contra quem missus ab Imperatore Vespasianus exscensione prohibetur, mox alio loco exscendens graviter atteritur, conciliat partes Arviragi Regis conjux.
55. Mirè celebratur Arviragus à largitate & probitate.
58. Neronis Imperio, defectionem parantes Britannos in fide Romanorum continet Rex Arviragus.
66. S. Petrus Apostolorum Princeps Britannias sua praesentia & praedicatione dignatur.
69. Corbredus Scotis imperat.
73. Arviragus Rex liberalissimus & æquissimus vita defungitur succedente filio Mario, Principe magnæ prudentiæ. Post Corbredum Dardannus Scotis praest.
75. Picti è Scythia adventantes Britanniae partem occupant, quorum Regem Rodericum vincit, & interficit Rex Marius.
76. Victis iisdem, terram sterilem Albaniam largitur, sponfas Britannas ambientibus, ab-

nuit,

- A. C.
- nuit, inde Hybernis copulantur, ex quibus nati, Scoti cognominati dicuntur.
78. Mario defuncto succedit Coillus filius, Romæ nutritus & Senatui gratissimus.
87. Pictorum Scotorumq; potentia & Regnum invalescit.
94. Cneo Agrippa sive Agricola, Præside Rom. in Britannijs mortuo, multæ illic urbes à fide Rom. deficiunt.
95. Cn. Trebellius contra Britannos missus, urbes rebelles edomat, resq; feliciter componit.
102. Multum laborat in continendis in fide Romanorum Britannis Rex Coillus, & bene meretur.
108. Corbredus II. Scotis imperat.
115. Coillo jam seni Britonum Regi, magna Regni & Regis exultatione nascitur Lucius filius.
124. Coillo Regi defuncto succedit filius optimus Lucius insigni plausu coronatus.
128. Iterum deficiunt à Romanis Britanni, multaque eorumdem millia, assertis in libertatem Urbibus trucidant.
129. Missus subsidio Præsidi ab Adriano Imper. Severus, multas dat clades Britannis & accipit, donec denique rebelles domaret.
135. Britanni sive licentia & injurijs Romanorum irritati, sive juvenis etsi oprimi Regis, lenitate abusi, arma denuo in illos corripunt, paulo post confopiti.
149. Picti & Scoti multas per Britannias urbes Romanis eripiunt multaque eorumdem

A. C.

- millia trucidant. Post Corbredum II. Lu-
ctacus Scotiæ Regem agit.
150. Effervescit Bellum Britannicum, Scotorum,
Pictorum, Anglorum, Romanorum, va-
ria fortuna, multo sanguine, acriter dimi-
cantium.
152. Pax deniq; Britannia, rebus cum industria,
tum armis Romanorum composita, red-
ditur.
156. Lucium Britannia Regem, ipsummet hoc
anno Romam profectum nonnulli vo-
lunt, ut rebus Regni consuleret, sive ut
Christi legem edoceret. Alij melius
differendum censent.
166. Angli denuo contra Romanos insurgunt
cum Pictis Scotisque sociati.
170. Lucius Rex Martyrum constantiam & tri-
umphos miratur, fidem Christi ejusque
sectatores magni facit.
174. Mogaldus Scotici Regni Sceptra tenet.
177. Romam mittit, qui in Christianorum vitam
solertius inquirerent.
182. S. Eleutherio Romano Pontifici innotescit,
qui ipsum litteris interpellat. Apud Sco-
tos Gonerus Rex imperat.
185. Idem Rex prædicatores ab Eleutherio pe-
tit, Faganum & Deruvianum sibi missos,
excipit, audit, convertitur & baptiza-
tur.
186. Præfati viri Apostolici Romam reversi, re-
lationem rei benè gestæ. Pontifici faciunt,
pluresque in messem agri Dominici inde
abducunt.
187. Dividitur in varios Episcopatus Anglia,
fides

- C.
190. S. Lucius Rex delubra varia Numini sacrae, fidem latè propagat, neque multo post, terrenorum fastidio Regnum deserit, Germaniæ immigrat, Augusto Vindelicorum Christum prædicat, qui etsi decennio maturius urbis illius Annales, & ex his alij referant, efficere tamen tanta tantillo tempore in Anglia non potuit, qualia diversæ illius Regni Ecclesiæ deprædicant, ipsum Fundatorem agnoscetes.
192. Sub hunc primum annum superiori immigrasse Rhætiæ, ejusque egisse Apostolum & Episcopum vero simile videtur, etsi de mortis anno, fieri non posse credamus, ut certi quid statuatur.
195. Pertinacis Imp. morte audita Britannicus exercitus Regni præsidem Clodium Albinum Cæsarem salutat, ex quo tempore multa denuo iniquis Regno oborta. Conerus Scotorum Regem agit.
198. Albinus firmata & præsidio Britannia, grandi cum exercitu Gallijs immigrat & firmiora quævis loca expugnat.
199. Idem cum Severo congressus, memorabilis victoria ejus exercitum profligat, & in fugam agit. Verum læto superveniente conversus Severus, Albinum triumphat, captumque interficit.
200. Diversis studijs jactata & lacerata Britannia Severum denique coacta agnoscit. Apud Scotos Ethodius Rex imperat.
201. Nunc primum Angliæ Scriptores S. Lucium

A. C.

- cium Regem in pace quievit, nec unquam Regno excessisse frustra contendunt, sed Claudiocestriæ mortuum, & in Ecclesia primæ sedis honorificè tumulatum.
205. Factionibus subinde turbata Britannia Severus Imp. ipse occurrit, rebelles cogit, murumque 132. passuum millibus, à mari ad mare construit, & turribus communit, ex quo securius hostes arcerentur.
206. Fulgentius Britannorum Dux ope Pictorum in Romanos movet Britannias infestat, quo anno Severum occubuisse scribit Westmonasteriensis. Sathrael Scotorum Rex claret.
209. Crescunt motus Britannici, quibus occurrere statuens Imperator Severus, Imperij negotijs impeditur.
210. Nunc denique expeditione in Britannos suscepta, varia fortuna dimicat, & Fulgentio occiso, rebellibus domitis, res componit, inde Britannicus cognominatus.
212. Iterum arma corripunt Britanni, contra quos filium mittit Severus Imp. qui brevi motus componit.
213. Mortuo Severo, Bassianus illius filius à Britannico exercitu acclamatur Imperator.
219. Cæso Imperatore in Mesopotamia, S.P.Q. R. auctoritate Præses Britanniaë mittitur
286. Carasius, etsi nonnulli multo post anno 286. id muneris ipsum à Romanis impetrasse velint, & revera ad memotatum nunc annum jejune admodum ab Anglis

A. C.

glis Historia Britannica tradatur.

220. Dunaldus I. Scotici Regni scepra tenet.
230. Britanniam Imperatores Romani, per Duces exercitus gubernant, Regum successione pridem extincta.
245. Ethodius II. post Dunaldum Scotorum Rex ægrè honorem contra Romanos tuetur.
250. Hacon Suecorum Dux magno cum exercitu Britanniam invadit, cui Romani frustra sese opponunt.
251. Britannia, Scotia, Hibernia ab Hacone miserè tractantur expugnatis urbibus, præfidijs cæsis, infinita hominum multitudine extincta.
253. Athirco & post ipsum Nathalocus Scotiae Reges, rerum pro virili contra Succos satagunt.
255. Lues contagiosa haud mediocriter Angliam, Scotiam & Hiberniam evacuat, cæteroque bellis exhaustas.
262. Sub hoc ferè tempus Findocus ad Regnum Scotorum evahitur.
264. Gallis denuo in Romanos insurgentibus, variisque deficientibus ægrè in officio Britanni continentur.
273. Constantium in Britannias mittit Aurelianus Imperator, & in obsequio eosdem potenter retinet.
275. Constantio nascitur filius Constantinus, qui dein à rebus gestis Magnus est cognominatus.
276. Apud Scotos Donaldus eo nomine Secundus imperat.

- 10
- | A. C. | |
|-------|---|
| 280. | Iterum turbatae Britannorum Res, Bonoso & Proculo Tyrannidem tota ferè Europa invadentibus. |
| 286. | Nunc primum Carausiū infimæ gentis hominem, Rom. se commendasse nonnulli volunt, & Præsid. Britanniaë impositum. |
| 287. | Carausius movere in pyratas simulans, ipse Pyratam exercet, promittensque se liberaturum à Tyrannide Romana Britannos si Rex eligeretur, mox coronatur, & 9. annis imperat. |
| 290. | Auxiliaribus Hollandis Carausius contra Romanos rem acriter agit, multas expugnat urbes, præsidarios interficit. |
| 291. | Contra Carausium missus Constant. Chlorus, varia fortuna præliatur, Carausio plura loca occupante. |
| 292. | Missus in Britanniam Alectus à Senatu rem fortiter contra Arausium agit. |
| 293. | Fervet bello Britannia, Alecto nullum non lapidem movente. |
| 294. | Constantius felici successu plurimas recuperat urbes, & Carausio multa millia profligat. |
| 295. | Alectus & Constantius acriter prosequuntur bellum, Britannis coronatum à se Regem ægrè deferentibus. |
| 297. | Hoc tandem anno Carausius cum Alecto supremo conflictu congressus cum viginti millibus profligatur, Alecto Regnum sibi arrogante. |
| 300. | Asclepiodorus contra Alectum mittitur, multaque loca occupans Britannorum multa millia cædit. |

A. C.

301. Sub hoc ferè tempus, post Donaldum tertium, qui secundo proxime successit Crathilintus in Scotia regnat.
302. Constantius rem Romanam in Britannia insigniter promovet, multa millia Britonum, non sine fuorū sanguine, profligat.
303. S. Amphibalus presbyter Christum in Britannijs predicat, & S. Albanum convertit.
304. Abdicantibus Imper. Diocletiano & Maximiano Collegæ succedunt, Constantius Chlorus Britannorum victor, & Galerius.
305. Incrementa non modica capit fides Christiana Constantij Imp. optimi exemplo, etiam in Britan. & S. Albano cooperante.
306. Constantio Imp. mortuo, succedit Constantinus M. ejusdem filius, qui patriæ Britanniae omni modo consultum cupit.
312. Profligat Maxentium Constantinus Imp. sub auspicijs Dominicæ Crucis, Christiq; amplexus fidem, eam late propagat.
316. Restaurant dirutas passim Ecclesias Britanni, dum Christiani è cavernis terræ in apertum erumpunt.
317. Accitos Romam è Britannia, Marium, Leolinum & Trahernium avunculos, inter Senatores Rom. cooptat.
318. Missus sub hoc tempus contra Octavium Tyrannidem Britanniae invadentem Trahernius, pulso Tyranno Regnum occupat.
319. Occiso ex insidijs Trahernio Octavius de novo Regnum invadit, eoq; quietè aliquamdiu potitur.
320. Apud Scotos post Crathilintum Fincor-

A. C.

- machus rerum potitur.
321. Salutiferæ Constantini leges etiam Britanniaë inferuntur, & Christianæ Religioni consulitur.
325. S. Helena Constantini mater Cœli Britanniaë Regis filia in Orientem navigat S. Crucis quærendæ studio concitata.
326. Eadem Sanctissima Regina & Imperatrix profundè defossam S. Crucem cum clavis & titulo Crucis reperit.
330. Ingens Britonum gloria terris decedit, cælis immigrat sanctissima Regina & Imperatrix Helena, alijs anno 327.
331. Constantinus Imp. Sanctæ matris suæ Helenæ honori & nomini Drepanum Bithyniaë restaurat, & Helenopolim appellat.
333. Præcipuis Romanorum Novæ Romæ in Oriente immigrantibus, Occidentis nutat Imperium, Britannis deinceps Romanos aspernantibus.
337. Vita excedit Sanctus Imperator Constantinus, quo extincto dissimiles patris filij, factionibus contendunt, Octavio Britanniaë Tyranno res suas adversum Romanos firmante.
340. Romachus post Fincormachum Scotorum sceptrâ gerit.
343. Constans Imperator profligato Constantino fratre, misso in Britanniam exercitu, quæ in fide remanserant fratris Urbes occupat, Octavio sese continente donec exercitus revocaretur.
345. Cogitur repetere suos è Britannia Constans, dum

A. C.

dum à Galliarum Rege, Constantini confederato bello impetitur.

346. Fatigati iisdem mutuis cædibus inducias paciscuntur, Constante deinceps cum fratre Constantio gravius colliso, & à prosequendis Britanniaë rebus impedito.

351. Post Romachum Angustianus Scotis imperat.

358. Multis adversum Constantium Imp. insurgentibus, & ab eodem descendentibus, Britanni rem suã curãt, & pace fruuntur.

363. Angustiano Regi apud Scotos Fethelmachus succedit.

370. Saxones, Picti atque Scoti Angliam incursionibus mirè exagitant, vastant, & longa pace partos thesauros expilant.

372. Theodosius Valentiniani Imp. Archistrategus, contra Saxones & Scotos in Britanniam missus, multa millia profligat, insulamque paci reddit.

375. Decrepitus nunc tandem Octavius Rex Britonũ, unica superstite filia defungitur.

379. Britanni Maximiano, Senatori Romano, filiam Octavij, Regni hæredem offerunt, qui mox occurrens, Conanum Octavij nepotem cum exercitu congressum profligat, cum ipso deinceps reconciliatus.

380. Maximianus idem, Leolini (qui Constantini M. erat avunculus) filius in Britannia natus, magno plausu Rex salutatur.

382. Eugenius Fethelmachi successor Scotorum Rex, varijs per Romanos prælijs exerceatur, donec & Regno demum ac vita exueretur.

- | A. | C. |
|------|--|
| 383. | Maximianus Rex Britonum viribus atque opibus auctus, Aremoricam Galliam occupat, eamq; Conano confignat. |
| 384. | Idem Maximianus, aliàs Maximus dictus colonia ex Britannia in Aremoricam ducta, ipsam deinceps Minorem Britanniam dici voluit. |
| 385. | Arma ulterius in Imp. promovet Tyrannus Maximus, & Gallias larè vastat, robustissimum quemvis è Britannia evocat. |
| 386. | Conanus Armoricae Rex à Dionoto Cornubiæ Rege, novis colonis conjuges petit, missa 11000. cum S. Ursula, quæ peregrinationem Romam usque suscipiunt. S. Martinus Turon. Max. interitum prædicit. |
| 387. | S. Ursula cum 11000. Virg. in Wannij Hunnorum Regis & Melgæ Ducis Pictorum manus incidens, Martyrio coronatur. |
| 388. | Bis victus à Theodosio Maximus, occiditur. Britannia mirè fatigatur. |
| 389. | Britones, qui in Aremoricum, metu hostium confugerant, jussu Theod. patriam repetunt. |
| 390. | In Hibernia multi egregia sanctitate viri, S. Cellocus, S. Beanus, S. Finlugus, S. Lactin. & plurimi alij insulam illustrant. |
| 394. | S. Patric. Scotus cum suis sororibus, vendit ^r , in Hiberniam transportatur, quo ipso tempore Sedulius floruisse memoratur. |
| 397. | Arcadio & Honorio imperantibus, dum à varijs Tyrannis vexatur Imperium, Scoti & Picti molestiores Angliæ incumbunt. |
| 400. | S. Kieran. Sagirensis magnum Britannia & Hibernia sydus sub hoc tempus Romæ versatur & Episcopus ordinatur. |

A. C.

402. Idem reversus Sagirense fundat Monasterium, quo anno S. Sezinus nascitur.
405. Fergusus Erthi filius, Fincormachi pronepos, exul aliquamdiu cum patre in Dania, Alarico Gotthorum Regi bello Italico insigniter se probat.
408. S. Patricius multo tempore Romæ versatus egregia vitæ sanctitate Romano Pontifici se commendat.
410. Romam expugnat atq; expilat Rex Alaricus, cui strenuam navat operam Fergusus.
411. Extincto repente Alarico, Fergusus magnis cum thesauris in Daniam revertitur.
413. Fama ab egregijs facinor. innotescens gentilibus suis Scotis & Pictis Fergusus, ad capeffendam coronam invitatur.
414. Ulus fortuna Fergusus, dum Angliam totâ spe devorat, vim parat atq; exercet, jussu Honorij Imperatoris reprimitur.
416. Hæresiarcha Pelagius, virorum Sancto. jaculis undique appetitus in Britanniam se confert, suumq; virus disseminat.
418. Pergit in Britannia multos suæ sectæ adungere Pelagius, contra quem acriter scriptis pugnat S. Augustinus.
420. Varia fortuna cum Romanis dimicat Scotorum Rex Fergusus.
421. Concilio Carthaginensi impius Pelagius, ejusq; dogmatum sectatores Britones alijsque damnantur. Vexati à Scotis Britannij & Picti, Romanorum implorant auxiliû.
422. Auxiliar. Roman. copiæ Scoto. compescunt insolentiam & Britanniam magno metu & malo liberant.

A. C.

424. Vix reversis Romam, qui subsidio Britannis venerant, Scoti Picti, & Dani majoribus odijs Britanniam vastant.
426. Luit miserè Britannia dum præter gentili-um errores, Pelagianismus latius serpit, Scotis Pictisq; armis omnia vastantibus.
429. Implorant denuo Romanorum operi Britanni, qui missis auxiliariis rem fortiter agunt.
430. Fergusius Scotorum Rex hoc & superiore anno cum Romanis varia fortuna manus conferens, nunc deniq; in acie cæsus occubuit.
431. Eugenius sive Evenus Fergusio patri succedit cujus primo Regni anno, S. Palladius cum socijs à Cælestino Papa in Scotiam mittitur.
432. S. Patricius ab eodem Papa in Hyberniam mittitur, Apostolico Zelo, multos quam primum etiam Regiæ familiæ Christo lucratus.
433. Scotis certatim nomen Christo dantibus, ordinatur primus eorumdem Episcopus S. Palladius Jam etiam Pelagianus, Pelagij sectam propagat.
434. Romanis in Italiam se recipientibus, Scoti denuo cum Pictis & Dacis Britanniam invadunt, Britonibus frustra opem Rom. flagitantibus.
435. Guithelinus Londinensis Archiepiscopus, auxilia à Rege Aremoricæ impetrat, & hujus fratrem Constantinum adduceas Regem creari curat.
436. Destituti auxilio Romanorum Britanni ex hoc

- A. C. | hoc tempore Romanis tributum dare recusarunt.
438. | Invalescunt in Britannia Scoti, & paulatim Regnum illud subjugunt.
440. | In Hybernia plurima struuntur Cænobia & Christi fides à monachis latè propagatur.
445. | Constantinus Britonum Rex in venatione à ministro nefariè mactatur, post quem filius ejus Constans è Monasterio ad Regnum extrahitur, paulo post tamen artibus & scelere Vortigerni occiditur, & hic parricida substituitur.
446. | Optimo consilio Catholicorum cum nimium Pelagianismus invalesceret, ope Gallorum implorata SS. Germanus Altisiodorensis, & Lupus Trecentis confirmandis fidelibus submituntur
448. | Scotis denuo Britannos grandi exercitu opprimentibus, illis Ducem se præbet Sanct. Germanus, & Alleluja præcinens, universis conclamantibus, tanto terrore hostes concutit, & effusissimi profugerent.
449. | Reversis in Galliam viris Apostolicis dum Scoti reversi Britanniam vexant, impius Rex Vortigernus Saxonum opem implorat.
450. | Idem Rex ope Saxonum Victoriâ refert, metuque substituendi in Regnum Legitimi hæredis, plures Saxones evocat, & gentilem Hengisti Saxonis filiam, ducit, inde ab Episcopis excommunicatus.
451. | Sub hoc ferè tempus S. Fingar Regis Hyberniæ filius, cum 7. Episc. & 770. concivibus

A. C.

- vibus in Scotiam trajiciens, illic martyrio coronatur.
452. S. Darercha vidua S. Patricij soror cum filijs 17 mira sanctitate Hiberniam illustris, his omnibus ad Episcopatum sive Presbyteratum euectis.
453. Hengistus Saxo persuaso Rege, trecentis navibus, multa iterum Saxonum gentium millia Britannia inducit.
454. Vortimerus filius contra Patrem in solium elevatur Vortigernus ejicitur, ille insigni victoria potitur, destructaeque Ecclesias restaurat.
455. Ardmacha à S. Patricio extructa, Metropolitana Regni sedes constituitur. Vortimer^{us} Rex insigni de hostibus Victoria potitur.
456. Hengistus Cantia Rex post Horsum fratrem, quem in acie Vortimerus occiderat, constituitur. qui ter uno anno congressus à Vortimero proffigatur, sed & classe victus in Saxoniam se recipit.
457. S. Patricius cognomento senior, ex Rosdelsi Episcopo, primus Ardmachanus Archipræsul felici morte defungitur.
458. S. Cassanus Abbas S. Patricij discipulus, postea Episcopus, Scholas publicas instituit, & ipse agit Professore.
460. Vortimerus Rex Britonum, spes patriæ, scelere novercæ veneno tollitur, quo ipso anno Eugenius quoq; Scotiæ Rex moritur, cum magnam prius Britannia partem sibi fecisset vestigalem.
461. Hengistus à Vortingerno Regnum denuo invadente evocatus, cum majorem adduxisset

A. C.

- duxisset exercitum, sub specie iuvandæ
Britanniæ, incautos perfidè oppressit. In
Hibern. multi egregia florent sanctitate.
462. Saxones Vortigerno Regi capto mortem
minantur, nisi nobilissimas quascunque
civitates ipsis traderet.
463. Rerum potiti Saxones immaniter in Eccle-
sias, sacros viros & Catholicos grassan-
tur. Dongardus Scotiæ rex fidem pro-
pagat.
464. Catholici opem Armoricorum implorant,
& Regis Constantini filios evocant, è qui-
bus Aurelium, contra Vortigernum re-
gem constituunt.
466. Aurelius Patris necem ulciscitur, & impium
Vortigernum in turri quadam obsessum,
accenso circum igne vivum cum suis
exurit.
467. S. Erenata Darij Principis filia, & multi San-
cti clarent in Hibernia.
468. Aurelius rex destructas à Saxonibus repa-
rat Ecclesias, mira se liberalitate & pro-
bitate commendat.
470. Constantinus apud Scotos imperat, diffi-
millimus fratrum Eugenij & Dongardi,
in luxum & luxuriam solutus.
471. Hiberniam magnis meritis demerentur SS.
Trianus & Mukinus discipuli S. Patri-
cij.
473. Aurelius rex cum Hengisto congressus
acerimè, dimicavit tanta utrinque san-
guinis profusione, ut multis dein annis
mutuo armis laceßere præsumerent.

S. Pa-

A. C.

475. S. Patricius Junior, Hiberniæ dictus Apostolus magnis virtutibus & meritis emicat.
479. Constantinus Scotiæ Rex, dum Regni omnia negligit, à Pictis alijsque vexatus hostibus, munitissima loca ijsdem cedit.
480. Aurelius Rex stabiliundæ rei Christianæ intentus, multis modis de regno præclare meretur.
481. Apud Hibernos celebre nomen est S. Olcani Episcopi, sanctitate & eruditione clarissimi.
482. Constantinus Scotorum rex, nocte quadam ab Hebridione viro nobili, ob ruptum filiæ strangulatur, succedit Congallus Dongardi optimi regis filius. Moritur S. Hierlatus Archiepisc. Ardmach.
484. In Hibernia celebriores inter viros Sancti duo Aidus senior & junior, inter sceminas, SS. Atracta Abbatisa & Cinnia Eochodij Principis filia elucescunt.
487. Memorabilem de Engisto victoriam rex Aurelius retulit, & grandi clade profligatum in fugam coëgit.
488. Prosequutus victoriam Aurelius, ut Deo gratias referret, profanatas passim à Saxonibus Ecclesias hostium spolijs ditavit.
489. Idem rex cum Hengisto denuo congressus, felicissimè ejus exercitum fudit, ipsum cepit & decapitari præcepit.
490. Aurelius progressus contra Octam Hengisti filium, supplici ignoscit & alias sedes
versus

A. C.

- versus Scotiam assignans, cum ipso fœdus init.
491. Memorabili felicitate regnorum & patris, S. Canocus Brechinix Princeps, cum 23. fratribus & sororibus, inter Divos annumeratis in Hibernia & Britannia claret.
492. Saxones nec quidquam resistentibus Britannis Sutfexe, regionem quæ Australlium Saxonum deinceps dicta est, occupant.
493. Moritur alter & mirificus omnino Patricius, Moyfi in multis comparatus, Britannix, Scotix & Hibernix Apostolus.
494. Iterum nova hostium colonia Britannix immigrat Cardicus Saxo, qui partem quæ occidentalium dein Saxonum dicta occupavit.
496. Pascentius Vortigerni Tyranni filius contra Aurelium Regem arma movet, sed ab hoc gloriose profligatur.
497. Aurelius Regum optimus artibus Pascentij veneno tollitur, pro quo frater Uther imperat, & Pascentium ejusque auxiliarem Gillomannium Hibernix Regem triumphat, & interficit.
498. Octa Hengifti filius Aurelio mortuo patris solum se credens, dum bellum novo Regi movet, vincitur & capitur.
499. Uther stabilitis Regni rebus, filio à Numine donatur, quem Arthurum appellari voluit, à mira dein probitate celebratur.
500. Dongellus Scotix Rex, Regis Britannix amicus.

A. C.

- amicus, Britones omni modo iuvat, multa-
taque adversum Saxones molitur.
501. S. Patricius cognomento junior, Patricij
Magni ex fratre nepos, qui & patruī acta
conscript, celebris habetur.
505. S. Libranus Abbas Prophetiæ spiritu illu-
stratus, & plurimi alij sanctitate clarissi-
mi Hiberniam ornant & juvant.
508. Cum Rex Uther lecto ægrè decumberet, u-
si occasione Saxones novas res movent,
contra quos missus exercitus cæditur.
509. Octa Hengisti filius cum Eosa cognato huc-
usque captivus, custodibus auro corru-
ptis evadit in Germaniam, inde magna
cum classe reversus, multa Britannia da-
mna intulit.
510. Uther conducto pro se exercitus Duce Loth
viro strenuissimo hostibus obniti statuit,
Britannis Ducis imperium negligentib⁹.
511. Infirmitate Regis cognita Saxones conjun-
ctis undecunq; viribus totum spe regnū
devorant, & immaniter grassantur.
512. Uther Rex optimus lectica deferi se in exer-
citu jubet, indicto Saxonibus prælio,
de quibus feliciter triūmphant, Octa &
Eosa in acie cæsis.
513. S. Hierlatus Tuamensis Episcopus & plu-
rimi alij per Hiberniam viri illustres &
sancti celebrantur.
514. Scupha & Wigharus Cerdici nepotes Bri-
tanniam occidentalem invadunt, Brito-
nibus frustra obnitentibus. Moritur Sa-
xonum in Hibernia Rex Ella, cui Cissa
filius succedit, Cicestria à se cognomi-
nata

A. C.

natæ conditor.

516. Supremus hic annus Regis Britanniaë fuit, Scelere Saxonum veneno extincti, cui in Regnum Arthurus filius 15. annos natus successit, primo statim Regni anno insigni victoria potitus.
517. Cheldericus Saxonum 700. navium Architalassus in Britanniam advolat contra quem Arthurus Armoricaë Regis opem implorat, quindecim armatorum millibus subsidio venientibus.
518. Insigni potitur victoria Arthurus, fugientesque assequutus supplices habet, cogitque præda omni & opibus relictis in Germaniam reverti.
520. Cheldricus pœnitens pacti, magna cum classe in Angliam revertit, quo comperito Arthurus obsides occidi iussit, hostibusque occurrens cruenta admodum victoria eos debellavit, Ducesq; interemit.
521. Rursum insigni potitur victoria contra Scotos Pictosque Arthurus qui Hoëlum Regem, in urbe Alclud decumbentem ex morbo, obsederant.
522. Religiosissimus Rex Arthurus desolatis Ecclesijs condolens, eosdem magno sumptu restituit, & dignis pastoribus committit.
523. Arthurus conjugem ducit, Regno consulit, nemini non magni habitus, hostibus univèrsis formidandus.
524. Magni Monachorum Patriarchæ Benedicti fama percrebrescēte Hiberniæ Patres certatim tanti Legislatoris iussa exambiūt, multi

A. C.

- multi ad ipsum in Italiam commigrant.
525. Arthurus Rex movet contra Gillamurium Hiberniæ Regem, quem paulo post devictum cepit, totumque Regnum subegit.
526. Arthurus dispositis Hiberniæ rebus, Hollandiam, Guthlandiam & Orcadum insulas ferro domans, vestigales facit.
527. Erkenvvinus primus Orientalium Saxonum Rex constituitur.
528. Cerdicus ejusque filius Kenricus apud Vectam insulam cum Britannis congressi magnam stragem edunt.
530. In Hibernia S. Aidus nepos Lugadij Regis, & plurimi alij sanctitate eximia elucescunt.
531. In Hibernia studia litterarum in Cænobijs magno fructu efflorescunt.
533. Cerdicus primus Occidentalium Saxonum in Britannia Rex moritur, succedit filius Kenricus. Arthurus Noruegos subjugat.
535. S. Edwinus Northumbriæ Rex Catholicus Zelator fidei strenuus Martyrio coronatur. S. Aidanus Episcopus fidem Anglo-Saxonibus prædicat.
536. Vetusso Britonum calculo, Magnus Monachorum Patriarcha Benedictus hoc anno migrasse in cælum traditur, cujus legibus dum viveret Hiberniæ Patres plurimi, paulo post universi se submisere.
537. Hoc & superiore anno Arthurus rex totam ferè Galliam subjugavit, & nunc Lucium Rom. Consulem prope Lengrias victum in acie occidit.

Profe-

A. C.

538. Prosequitur bellum Gallicum magna felicitate rex Arthurus.
539. Subactis circa alpes provincijs, idem rex, iter Romanum adornat.
540. Mordredus Arthuri nepos, per absentiam Regis Regni relictus gubernator, Regnū invadit, & Saxonibus confœderatur copulata etiam Arthuri conjuge, contra quem relictā Romana expeditione Rex iter accelerat.
541. Memorabili, etsi cruentissima victoria Mordredum vincit Arthurus, illo cum præcipuis in acie cadente. Rex tamen lethali-ter vulneratur.
542. Arthurus victor moriturus ex vulnere, regno prius consulto Constantino cognato suo Rege renunciato, ipse in locum alium se conferens, omnique modo cavens, ne mors sua hostib⁹ innotesceret.
543. Mordredi Tyranni, filij duo contra Constantinum insurgunt, victi paulo post, & jussu Regis trucidati.
545. Constantinus rex Britonum moritur, cui Aurelius Conanus successit, qui avunculum, ut ipse regno potiretur incarcerationavit, & duos ejusdem filios peremit.
546. Eugenius Scotiæ rex Anglo-Saxones subinde bello fatigat, fidelissimus Britonum amicus, nunquam tamen iusta acie congre-ditur.
547. Diemitius rex Hiberniæ claret, quo regnante Sanctorum tanta copia regnum floruit, ut alterum dici possit Firmamentum.

A. C.

548. Idas primus Northumbriæ rex salutatur.
550. S. Brendanus in Apostolica sua expeditione & conversione Insularum Fortunatarum defudat.
553. S. Catanus Episcopus S. Patricij discipulus SS. Jovinus, Talmachus, Sedonius, Ultanus, alijque magni viri Hiberniam illuminant.
556. Eugenius Scotorum rex, multa felicitate pro socijs gerit, & Saxones ab ulteriori progressu retardat.
559. Kenricus Occidentalium Saxonum rex moritur, pro quo Ceaulinus filius annis triginta imperat.
560. Ida quoque Northumbrorum primo Regis defuncto, Regnum in duo Regna, Deiorum nimirum & Berniciorum dividitur, illi Ella, huic Adda, mortui Regis filij præficiuntur.
561. S. Machutus offensus impietate Britonum eis maledicens in Galliam secedit, magnis calamitatibus provinciam invadentibus, donec denuo benediceret.
562. Ingens sanctorum Monachorum copia è Regnis Hiberniæ & Scotiæ in Gallias & Germanias commigrat, Regulamque S. Benedicti propagat.
564. Magnus ille Gilda, cognomento Badonicus, Hiberniam illustrat, cujus magni ingenij & sanctitatis præclara extant monumenta.
565. Sub hunc annum ad cælos commigrat S.

Fin-

- A. C.
566. Finnianus Abbas, pater trium millium Monachorum.
566. Magnus ille Columbanus Abbas cum discipulis ex Hibernia in Britanniam concedit. Æthelbertus Ermerici filius Cantiae Rex inauguratur.
567. Adda Rege Berniciorum mortuo, pro ipso Glappa sufficitur.
568. Ceaulinus Rex West-Saxonum cum Æthelberto pugnans hunc in fugam agit. Quo ipso anno Eugenius Rex Scotiae decessit.
569. Glappa Berniciorum Regi defuncto succedit Theodwaldus.
570. Huic vix annum regnanti & mortuo succedit Fretheulfus.
571. Uffa Rex est in Est-Anglia rerum potitur. S. Columbanus modo in Gallias commigrat, etsi alij multò post factum contendunt.
572. Hibernia tota fit penè Monachorum, illesta nimirum prodigiosa tot millium Sanctorum vitæ ratione.
573. Magnus ille Aquilonaris Britanniae Apostolus S. Gildas cum in Gentilium, tum Hæreticorum conversione mirè laborat.
576. Illustrissimum Germaniae sydus destinat Hibernia S. Rupertum regij sanguinis virum, monachum lectissimum, qui hoc anno Wormatiensium Episcopus creatur, & Apostolico zelo se commendat.

A. C.

577. Fretheulpho Berniciorum Regi mortuo succedit Theodoricus.
578. Duorum magnorum Regum morte luctuosus annus, Congalli II Scotorum corona insigniti, de Ecclesijs optimè meriti & Aurelij Conani, huic apud Britones Vortiperius, illi Aidanus successit.
579. Sub hoc ferè tempus post Ulfam Orientalem Anglorum Regem, à quo Rege illius provinciæ Uffingæ dicti, Titillus filius imperat.
580. Ceaulinus West-Saxonum Rex multa castra & loca expugnans potentiam suam latè exporrigit.
581. Valedicit mortalibus Vortiperius Rex, cui Malgo sufficitur, Heros cætera insignis sed Sodomix scelere infamis, & detestandus.
583. Malgo Rex bello fortissimus sex provinciales Insulas subigit.
584. Ceaulinus Rex cum Britannis congressu vincitur, frater interimitur,
585. Merciorum Regnum exoritur, & primus Rex Creodda salutatur.
586. Malgoni extincto, Caretius sufficitur, Deceivisus & hominibus, sub quo Regnum Britannix planè concidit, dein Anglica dicta.
587. Erckenwino Orientalium Saxonum Regum morte ablato, Sleda filius in Regnum succedit.
588. Æthelfridus Berniciorum Rex ducit Accaniam filiam Ellæ Regis Deirorum, ex qua Ean-

- C.
- Eanfridum, Ofwaldum, Ofwinum,
Ossacum, Osswidum, Ofam & Offam
suscepit.
589. Sleddæ Orientalium Saxonum Regi nasci-
tur Sebertus, qui dein successit.
590. Constantinus ex Britonum Rege sanctus
Monachus in Hibernia, inde in Britan-
niam reversus Scotis & Pictis prædicat.
Cissa Orientalium Saxonum Rex absque
hærede moritur, succedit Ceaulinus Rex
Occid.
591. Luxoviense Cœnobium à S. Polumbano
conditum nonnulli nunc volunt.
592. S. Columba cogn. Kille Hiensis Abbas Pi-
ctorum Scotorumque Apostolus, utrius-
que Scotiæ Patronus moritur.
593. Illustrat miris sanctitatis radijs Britanniam S.
Kentigernus Eugonij III. Scotorum Re-
gis filius, contempto Regno Monachus.
593. Extinguitur Ceaulinus Occidentalium Sa-
xonum Rex, eodemque anno Ella Rex
Deirorum, illi Crobricus, huic Eadwin-
us succedit hic paulo post ab Aethel-
frido in exilium exactus.
594. Wibbæ Merciorum Regi mortuo substi-
tuitur Cearlus consanguineus.
595. S. Baithenus Abbas filius Cuanach Hiber-
niam mirè illustrat.
596. S. Augustinus cum 40. Monachis collegis
ad conversionem Angliæ, à Magno
Ecclesiæ Doctore Gregorio Papa mit-
titur.
597. S. Augustinus ex Monacho S. Benedicti pri-
mus Anglorum Episcopus Ædilbertum
Regem

- A. C.
598. Regem, ac Regnū ejus, Christo adiungi
S. Congellus ter millium Monachorum Ab-
bas Hiberniæ Regnum fulgoribus Sa-
ctorum implet.
599. Redualdo Orientaliū Anglorum Regi de-
functo. Eorpen Waldus successor datur.
600. S. Fintanus, cognomento Os Psalmorum
& innumera SS. Monachorum multitu-
do Scotiam & Hiberniam illustrant.
601. Aidanus Scotorum Rex, Sanctorum & ma-
ximè S. Colūbæ ope prodigiosa multa
de Pictis & Saxonibus victorias meretur.
602. SS. Meldanus & Beonarus Episcopi, nec non
Lasreanus & Murus Abbates magnis
meritis Hiberniam devinciunt.
603. Æthelfredus Northumbriæ Rex, prædictio-
ne S. Augustini Britones vincit, quod hu-
jus monitis obtemperare noluisse.
604. S. Augustinus Iustum & Mellitum roffen-
sem & Londomenses Episcopos con-
secrat. Missus ab eodem Mellitus in re-
gnum Orientalium Saxonum, regem Se-
bertum Ecclesiæ adiungit.
605. Augustinus & Socij Monachi in conversio-
ne regnorum admirabili zelo, grandi la-
bore fatigantur.
606. S. Sillanus, Magister cognominatus Ben-
chorensis cœnobij Abbas, magnis virtu-
tibus & meritis claret.
607. Aidano mortuo succedit Eugenius III. Sco-
torum rex, eodemque anno Ceolrico
Occid. Saxonum regi Ceulphus.
608. Ad cœlos evolat primus Anglorum Archi-
episcop⁹ S. Augustinus cui B. Laurentius suc-

610. *successit, alij sequenti anno tribuunt.*
 Extinguitur Ceulfus Occidentalium Saxo-
 num rex, succedit Kinegilsus.
611. Mellitus à Laurentio Archiepiscopo ad
 Concilium Romanum mittitur, ipse fi-
 dem latè propagat.
612. S. Molibba Episcopus Glendalacensis, ejus-
 que fratres S. Conganus, Mobaius &
 Menochus in Hibernia celebrantur.
613. S. Columbanus reges Galliarum generosis-
 simè corripit, & Apostolico zelo regnis
 consultum cupit. Edilberto & Saberetho
 regibus mortuis, succedunt filij idolo-
 latræ, jactatur miserè Anglia.
614. Detumescunt fluctus, ipso Adelvaldo rege
 Christo manus dante.
615. S. Clodesvidæ Mathensi sponsum fugienti
 velamen capitis à DEO per Angelum
 mittitur.
616. Pergunt magna industria viri Apostolici la-
 borare in agro Domini, multaq; millia
 S. R. Ecclesiæ adjungunt.
617. Congressi cruenta pugna Aethelfridus Nor-
 tumbriæ rex, & Reduvaldus Orienta-
 lium Anglorum, illi ab isto vincitur &
 in acie cadit.
618. Commendat Monachorum in Anglijs suc-
 cessus & Zelum Bonifacius Papa, à qui-
 bus hoc anno Edilberga Eduvini regis,
 Uxor convertitur.
619. Scotiæ & Hiberniæ tota Sanctorum agmi-
 na in Gallias & Germaniam advolant,
 & contra idololatriam & Hæreses dimi-
 cant.

A. C.

620. S. Rupertus Juvaniensium Episcopus Germaniam mirè demeretur, magnus Bajorum Apostolus appellatus, Eugenius III. Rex Scotiæ moritur.
621. S. Laurentius Dorobernensis Archiepiscopus, ad laboris Apostolici præmia evolat, cui Mellitus succedit.
622. Magnus Abbas Columbanus Regum terror & amor extinguitur.
623. Si Wardo Orientalium Saxonū Regi defuncto succedit Sigebertus filius cogn. Parvus, qui cum fratre Seberto à fide deficit.
624. Redwaldus Orientalium Anglorum rex moritur, succedit Eorpenwaldus.
625. Eadwinus Northumbriæ rex Edelburgem Æthelberti Regis filiam exambit, cui S. Paulinus, tanquam Angelus pacis adjungitur.
626. Eadwinus de Quichelino Occidentalium Saxonum Rege insignem triumphum refert precibus S. Paulini Archiepiscopi.
627. Idem Eadwinus, à Paulino Archiepiscopo baptizatur, quem mox universum regnū imitatur, cui initio nonnulli renuerent.
628. Lindissæ provinciam universam Christi adjungit idem S. Paulinus.
629. Kinigilsus Occidentalium Saxonum, & Penda Merciorum, reges graviter confingunt, uterq; autem fessus pugnando pacem inijt.
630. Cælestibus Syderibus adjungitur insignis Anglorum Apost. S. Justus, cui, ex Monacho item, S. Honorio in sede sufficitur.
631. Ingentia nunc merita celebrantur S. Aida-

A. C.

632. no ex Mon. Lindisfarnensium Episcopi.
Eorpenwaldus Orientalium Saxonum
rex Christo adjungitur. Ferchardus rex
Scotiæ Hæresi infectus à suis captus se
ipsum conficit.
633. Edwinus five Eadwinus rex cum Cad-
Walino Britonum rege acri congressus
prælio triumphat.
634. Cadwalinus ope Salomonis Armoricæ re-
gis, Pendam Merciorum regem vincit,
hujus autem, fidem dantis, adjutorio E-
adwinum aggressus magna clade ipsum
profternit, & occidit.
635. Ofwico quoque Eadwini filio, qui in re-
gnum successerat, occiso, S. Ofwaldus
coronatus, insigniq; victoria exorato Nu-
mine potitur. Ipso anno Kinigilfus Rex
baptizatur, à S. Birino conversus.
636. Sigebertus Orientalium Saxonum Rex fa-
lutatur, qui & Christianam religionem,
& litterarum studia insigniter promovit.
637. Pergit Apostolico multos ad gremium ad-
jungere S. Birinus.
638. S. Ebba Abbatissa Northumbriæ regis filia,
nares & labrum abscindit, ne à Gentilibus
Cænobium invadentibus ejus Virginitas
periculum pateretur, cujus exemplum
moniales imitatae omnes trucidantur.
640. Eadbaldus Cantiorum rex moritur, post
quem Ercombertus imperat, primus toto
regno idola destruens.
641. Earcongotha Ercomberti regis filia, Mona-
sticen in Monasterio Brigensi professa,
admirabili effulget vitæ sanctitate.

A. C.

642. *Æternum Sancti Regis exemplar S. Ofvaldus, non regem solum sed Apostolum agit, quem maximi ipse S. Aidanus Episc. facit.*
643. *Supremus hic annus Kinigilfo regi fuit cum 32. annis regnasset, cui in regnum successit Kivvalcus filius.*
644. *Magnus ille rex Ofvaldus, Anglis, Scotis, Pictis & Britannis feliciter dominatus contra Pendam Merciorum regem fortiter occumbit, multis dein miraculis à Numine honoratus.*
645. *Ofvaldo succedit frater Ofvius, quo ipso anno Ofvinius rex verè sanctus Deorum throno post patrem Ofrium, sublimatur. Penda Kinevvalcum occidit. Saxonum regem, regno ejicit.*
646. *Kinevvalcus regnum suum potenter recuperat. Moritur S. Paulinus roffensis Episcopus vir verè Apostolicus.*
647. *In Hibernia admirandis meritis & vitæ sanctitate claret S. Fursus, & ingens Sanctorum Monachorum multitudo. Donaldus rex Scotiæ dum piscatur mergitur.*
648. *Insigne iterum Sancti regis exemplar Britanniam exornat. S. Ofvinius, Princeps per omnia admirandus, Zelator honesti egregius.*
649. *Sigebertus rex Orientalium Saxonum ad fidem opera Ofvij regis convertitur. SS. Fiarius & Syra Donaldi regis Scotiæ frater & soror clarent.*
650. *Peada Pendæ regis filius à Patre*
 REX

A. C.

- Rex declaratus, ducta filia Os^wij Regis,
Christiana sacra amplectitur.
651. S. Os^winus Rex proditoriè occiditur, post
quem paulo post Sol Britanniae S. Aida-
nus ex Monacho Lindisfernensium Pon-
tifex extinguitur.
652. Os^vino succedit Oid^vvald⁹ Os^vvaldi Regis
filius, Egricum Anglorum Orientalium
Regem bello vincit Rex Penda, & in acie
interimit.
653. S. Ositha monialis Fritevaldi Regis filia,
Pendæ neptis ab irruentibus Danis Mar-
tyrio coronatur.
654. Penda Rex Annam Orientalium Saxonum
regem bello petit, ipsumque cum toto
exercitu profligat, succedente in Regnum
Æthelberto fratre, S. Foillan. Philtani Hi-
berniae regis filius Martyrio coronatur.
655. Os^vvius rex voto facto, de filia sua Numini
in cucullo consecranda memorabili vi-
ctoria Pendam regem triumphat & in-
terficit.
656. Ermenburga regina percellit Angliam ex-
emplo contemptæ regiae dignitatis, ex-
orata mariti licentia, Monasticè professa.
657. Penda rex optimus festo Paschatis, scelere
uxoris proditoriè occiditur succedie
Vulfherus filius.
658. Kinevvalcus rex Occident. Saxonum, Bri-
tonibus subesse recusat regnumq; in li-
bertatem asserit.
659. S. Finanus Lindisfarnens. Episc. conversione
gentium illustrissimus secundum Anna-
les Hiberniae ad caelos evocatur.

- A. C.
660. S. Tomeanus Archiepisc. Atmachanus Hiberniæ primus post insignia merita, mortalitatem exiit.
661. Vulfherus Merciorum Rex rebellantem Kinni Walcum Regem West-Saxonum fugat, terramq; ejus spoliat; Australium item Saxonum Regem Ætelwaldum subjugatum Christo lucratur.
662. Vectam insulam à se armis subactam idem Rex Vulfherus ad fidem aggregat.
663. Conventus Strenchhalcensis super Paschatis celebratione, quo conclusum; in hoc Romanam Ecclesiam, tanquam matrem omnium attendendam.
664. Ferchardus II. Scotorum Rex vir sceleratus, inter venandum à lupo vulneratus, longa dein tabe consumptus, poenitens deniq; moritur. Extinguitur eodem anno Ercombertus Rex Cantia, succedit Egbertus filius.
665. Ingens pestilentia per Britanniam, cujus horrore, homines gregatim se in mare præcipites dedere, ut mortem adeo acerbam præverterent.
666. S. Cuthbertus ex Lindisfarnensi Episcopo, Meilrosensis Monachus, Apostolico Zelo multos à bestiali vita avocat, fidem propagat.
667. Pergit latè grassari pestilens lues, & per Northumbriam validè grassatur, qua etiam S. Fechinus Abbas celeberrimus in Hibernia extinguitur.
668. Magnus ille & merituissimus Ceadda vir Apostolicus fit Merciorum Episc.

A. C.

669. Theodori Archiepiscopi Cantuariensis & Hadriani Abbatis opera & merito studia litterarum in Anglia efflorescunt.
670. Ofwius Northumbriæ Rex Magnus, senio confectus & morbo decessit, pro quo Egfridus filius imperat.
671. Sebba Rex Orientalium Saxonum Regno relicto, in cucullo exsplendescit.
672. Kiniwalco Rege mortuo, Sexburga Uxor imperat, sed expellitur.
673. Magno fructu Concilium Herefordiæ celebrat S. Theodorus Archiepisc.
675. Ingentibus se meritis commendat S. Erckenwaldus Londoniensis Episc.
676. Cadwalinus Rex Britonum moritur, anno Regni 48. succedit Cadwalla filius. Obijt eodem anno Vulfherus Rex Merciorum, succedit frater ejus Æthelredus, sed & Eascuvinus R. Occid. Saxonum extinguitur.
677. S. Wereburga Vulfheri nuper defuncti filia Monasticen profitetur, & mira vitæ sanctitate exsplendescit.
678. S. Wilfridus Eboracensis Episcopus à Rege Egfrido sede dejectus in Frisiam occurrit, & Apostolico labore Frisios Christo adiungit.
679. Cælis immigrat B. Ætheldreda Annæ Orientalium Anglorum Regis filia, Tonberti Girviorum Principis, dein Egfridi Regis uxor, Virgo tamen incorrupta, Monialis Coludesbergensis Egfridus Nortumbriæ Rex, & Æthelredus Merciorum acriter congregiunt.

A. C.

680. Præclarè regnis consulit S Theodorus Archiepiscopus Concilio celebrato. Moritur Sanct. Hilda Abbatissa regij generis gemma.
682. Kentvvinus Occid. Sax. rex Britanniam feliciter armis infestat.
683. Sigherus Orient. Sax. rex moritur, Collega ejus Sebba dein solo regnante.
684. Malduinus Scotorum rex, heros egregius, Uxoris scelere ob suspicionem pellicatus strangulatur. Egfridus rex misso exercitu contra Hibernos cum nec sacris abstineret, paulo post plectitur.
685. Egfridus Nortumbriæ rex dum contra Pictos ducit exercitus à fugam simulantibus in angustias montium seductus cum suis perit, successit in regno ejus frater Ælfridus.
686. S Cuthbertus resignato Pontificatu, Monasticis se exercitijs ad mortem præparat & sanctè defungitur.
687. Eadricus rex moritur Ceadvalla quam primum regnum invadente. Idem hoc anno Vectam occupat, & Ethelvaldum Australium Saxonum regem interficit, ab hujus paulo post Ducibus ejectus.
688. Eugenio V. Scotorum Rege mortuo, regnat Amber Keletus, Ceadvalla scelerum pœnitens Regno se abdicat.
689. Ceadvalla Romam profectus ibidem baptizatur, & albatu etiamnum correptus morbo, Divo Benedicto se devovens in cucullo moritur.
690. Ceadvallæ in Regno Inas successit & an-

A. C.

nis 37. præfuit. Magnus ille S. Theodorus Cantuar. Archiepisc. Litterariæ rei per Angliam promotor, eodemq; anno Ælfvvaldus Orient. Angl. Rex moritur.

691. Summo Germaniæ Galliæq; emolumento S. Willebrordus multarum deinceps Gentium Apostolus ex Anglia in Galliam occurrit.
692. Witredus & Sivvardus Cantix Reges contra invasores fortiter agunt.
693. Inas Rex occident. Saxonum contra Withredum Cantix Reg. magno cum exercitu movens, ab hoc pecunia avertitur.
695. Evvaldi duo fratres, Monachi è Britannia ad convertendos Germanos profecti, Apostolatum suum Martyrio consecrant.
696. Ostrica Regina Merciorum Æthelredi Regis vidua Egfridi Regis Northumbriæ filia, infando subditorum scelere perimitur.
697. Magnus revera German. Apostolus S. Willebrordus, ad Conversionem Frisiorum mittitur, & præclarè meretur.
698. Corpus S. Cuthberti incorruptum reperitur.
699. S. Colmannus Abbas Lannensis in Hibernia celeberrimus moritur, Amber Kelethus Scotiæ Rex contra Pictos movens in castris sagitta perit.
700. Brithricus Northumbrorum Comes dum Egberti regis sui mortem ulcisci parat, compensante vindictam Numine à Pictis occiditur.
701. S. Adamannus Abb. sanctitate & eruditione clarif.

A. C.

- clarissimus, magnó cum merito, Hibernos ad observantiam Paschaſis ex more Rom Eccleſiæ pertrahit.
702. S. Colmannus Episcopus Liſmorenſis potens verbo & opere ſancto ſine decedit.
703. Magnorum meritorum Vir S. Benedictus Biſcopius Abbas Anglicus ad præmium æternitatis vocatur, alter Ordinis in Anglia Reſtitutor.
704. Memorabili contempti pulcherrimi Regni exemplo Edilredus Merciorum Rex, Monachum proſtitetur, cum 31. annis imperaſſet.
705. Ælfridus Northumbriæ Rex moritur, Kinredo ſuccedente.
706. Admirandus Britannijs non ſolum, ſed orbi Chriſtiano S Guthlacus, Monachus Reſpendoniensis, magnis prodigijs effulget.
707. SS. Kineſdrida & Kineſwitha Regiſ Æthelredi ſorores in cucullo mirè ſe probant, & ſanctitate florent.
708. Ina Occidentalium Saxonum Rex cum Gerente Wallenſium Rege congreſſus, poſt cruentum certamen Victoriã obtinet, multa præda ditatus.
709. S. Aldelmus Schireburnenſis ex Abbate Episcopus, de Britannia optimè meritus, quam à gravi vendicarat Schiſmate, extinguitur.
710. Kinredus Merciorum Rex optimus Monachicè proſtitetur, ſuccedit in Regnum Ceolredus. Idem proſitum Offa Rex Orientalium Saxonum juvenis generoſiſſimus, etiam ſponſa relicta aſſequitur.

A C.

711. Sanctum & Magnum Wibfridum Eboracensem Episcopum, alij hoc anno, alij biennio ante extinctum volunt, qui à Beda mirè laudatur.
712. In Germania SS. Werinfridus, Willeicus & Achatius Angli, imo verius Angeli, simulque Apostoli, verbum DEI latè propagant.
713. Alfredus Northumbriæ Rex in Mailrosensi Cænobio fit Monachus.
714. Hollandis & Kenemarijs prædicat ingenti fructu S. Adalbertus Edilwaldi Regis Deirorum filius Epternacensis Monach⁹.
715. S. Suitpertus magna Hibernorum gloria, de Germanis Apostolico Zelo & fructu æternum meretur.
716. Eugenius VII. Scotorum Rex Religiosus, doctus & pacificus moritur. Ina contra Ceobredum Merciorum Regem, æquo ferè Marte præliatur.
717. Ofredus Northumbriæ Rex in prælio occumbit, succedit Kenredus.
718. Magnum illud Angliæ simulque Germaniæ Jubar S. Bonifacius ad Apostolicum prædicandi munus à Gregorio Papa in Teutonium mittitur.
719. Moriuntur hoc anno Ceolredus Merciorum & Kenredus Northumbiorum Reges, illi Æthelaldus, huic Ofricus succedit.
720. Ingilsus frater Inæ Regis diem claudit extremum.
722. Ina Rex Eadbertum Sudsexiæ Regem in prælio interficit, Withredo Cantuariæ Regi mortuo, Æthelbertus filius succedit.

Ful-

A. C.

723. Fulminis instar disjicit ac dissipat Idololatriam S Bonifacius.
724. Ingens Sanctorum Monachorum copia Hiberniam implet, è quibus insignes Coloniae in Galliam atque Germaniam mittuntur.
725. Venerabilis Beda, hoc anno Historiam Anglorum inchoat.
726. Thobias Roffensis ex monacho Episcopus, vir magnorum meritorum moritur.
727. Ina Rex gloriosus & felix, contempto quod diu administraverat feliciter Regno, Monasticen profitetur, alijs 740. succedit Æthelhardus.
728. Orbem fama meritorum, & radijs sanctitatis implet Venerabilis Beda Presbyter, Monachus Wirensis.
730. Osulcuo Northumbriae Rex cognatorum exempla imitatus, & ipse Numini se devovens Regnum deserit, & Ceolulpho relinquit.
732. Mordacus Scot. Rex, Princ. Justitiae, Religionis & pacis amantissimus vita excedit, cui Ethfinus sufficitur.
733. Immortalibus se meritis commendat S. Bonifacius Germanorum Apostolus. Ceolulphus Rex captus, attondetur & in Regnum remittitur.
734. Æthelbaldus Merciorum Rex, Sommertonensi castro expugnato, imperium late propagat, & deinceps multis Regibus imperat.
735. Ceolulphus Regno redditus prosperè regnat, & vitia eradicat.

Regina

A. C.

738. Regina Occidentalium Saxonum, & nobilissimi quivis Anglorum turmatim Romam confluunt, S. Petrum ejusque Vicarium venerati.
739. Æthelhardus Occidentalium Saxon. Rex vita defungitur, Cuthredo fratre in Regnum successit. Ceolulphus Monachum induit.
740. Gentiles non solum ab Idololatria liberat S. Bonifacius, sed & Hæreses varias profligat.
741. Æthelbaldus Merciorum Rex cum Cuthredo West-Saxonum Rege, sæpius varia fortuna præliatur.
743. Iterum diversas Hæreses à Germania avertit S. Bonifacius.
744. Æthelbaldus Merciorum, & Cuthredus West-Saxon. Reges Britones affligunt.
745. S. Bonifacius æterna Angliæ gloria primus Germaniæ Primas designatur.
746. Memorabilis hic annus multorum & Illustr. in Hibern. Sancto. S. Nuadi, S. Fursæi Abbatum, & plurimorum aliorum.
748. Ethfinus Scotor. Rex egregia virtute Princeps Regnum magna gubernat providentia, suis charus, formidandus hostibus, Amicis gratiosus.
749. Eadbertus Cantuar. Rex, & Æthelwoldus Oriental. Anglorum moriuntur. Kinericus Occidental. Rex Saxonum occiditur.
750. Eadbertus Nortumb. Rex Basilicam S. Petri Lindesfarnensem obsidens Kinevvulfum Episcopum in vincula rapit.
751. Cuthredus West-Saxonum Rex, de Ethel-
huno

A. C.

- huno Duce refert victoriam.
752. Idem de eodem ejusque Rege Æthelbaldo memorabili prælio triumphat.
753. Magnus Germanorum Apostolus Bonifacius Martyrio coronatur.
755. Iterum congressi supra dicti Reges, Æthelbaldo in acie interfecto.
756. Guthredus Rex Victoriosus moritur succedente in Regnum Sigeberto, qui cum petulantissime dominaretur, dejectus à Subulco quodam occisus est.
757. Eadbertus Rex Nortumbriæ Regno sponte relicto Monachum proficitur.
758. Beornredus Merciorum Rex ob crudelitatem à suis exauctoratur, & Offa regio genere juvenis inauguratur, rebus dein gestis celeberrimus.
759. Æthelwaldus Nortumbriæ Rex conficiens cum Oswino Duce ipsum interficit.
760. S. Patto oriundus ex Hibernia, Verdenfis Episcopus, vir Apostolicus moritur.
761. S. Egbertus ex Monacho Eboracensis Archiepiscopus Magni Alcuini Magister ad præmia æternitatis vocatur, promotor rei litterariæ singularis.
762. Ethfinus Scotorum Rex laudatissimus moritur, cui Eugenius VIII. subrogatur. Æthelberto quoque Doubornensi Regi extincto Eadbertus sufficitur.
763. Optimum initio Regem agit Eugenius, & Donaldum Tyrannum Gallovidiæ incumbentem, aliquot prælijs opprimit captumq; supremo supplicio afficit.

Orbem

A. C.

764. Orbem fama & meritis implent SS Ven. Beda & Magnus Alcuinus.
765. Eugenius Scotorum Rex in omnem libidinem effusissimus, suisque omnibus intolerabilis, in publico procerum conventu omnibus consentientibus confossus perit, corpusq; in cloacam abjiciendum decernitur, sed Majorum respectu sepelitur.
766. Sub hunc ferè annum, etsi summopere varent auctores mors Venerabilis Bedæ videtur referenda, quem Solis nomine non nemo celebravit.
768. Fergusius III. Scotorum Rex totus ingluvici deditus, ab uxore ob pellicatum noctu strangulatur. S. Egbertus S. Eadbertus ex Rege Nortumbriæ monachus obiit.
769. Cataracta civitas à Beornredo nuper Merciorum Rege exauctorato incendio absumitur, ipsomet non multo post incendio pereunte.
770. Ingens Sanctorum Monachorum copia in Hibernia Scotia atque Anglia magnis se meritis & exemplis commendat.
771. Offa Merciorum Rex bellator robustissimus totam ferè Angliam armis subigit, & supra omnes ante se Reges Regnum exporrigit
773. Ealdredrus Nortumbriæ Rex vita excedit, post quem Æthelredus imperat. Offa Rex Kentenses sanguinolento prælio vincit & subjicit.
775. Offa Rex Carolum Magnum Galliarum Regem sibi Amicum reddit.

Germa-

- A. C.
776. Germanias demerentur immortalibus meritis SS. Wilibaldus, Wunibaldus & Walpurga, S. Richardi Anglorum Regis liberi.
777. Solvathius Scotorum Rex, etsi lectulo plerumq; ob podagram affixus, magna tamen prudentia, morus quosunque reprimat, populos regit.
778. Æthelredus Northumbriæ Rex, Ducibus Regni contra ipsum insurgentibus fuga se abripit, contra quem Alfwoldus Rex salutatur.
779. Offa Rex cum Kinculpho Occident. Saxonum Rege congressus, graviter attritum in fugam cogit.
780. Æthelredus Rex exauctoratus, ad Kinothum Pictorum Regem fugiens, illic obiit.
781. Principes Northumbriæ quendam Regni consulem plus æquo favientem in proprijs ædibus exurunt. Moritur S. Willibaldus Angl. Regis filius.
782. S. Colga filius Crunmail Abbas Luscanensis in Hibernia, sanctè obiit.
784. S. Virgilius Carinthiæ Apostolus Episc. Salisburg. natione Hibernus moritur.
785. S. Sedulius Dubliniensis Episc. ad præmia æterna evolat.
786. Kinculphus Occident. Saxonum Rex bellicosus in ædibus quibusdam circumventus à Kincharo Principe occiditur, hic paulo post & ipse mactatur.
787. Solvathius Scotor. Rex prudentissimus extinguitur Achaio succedente. Kinculpho succedit Brictricus filius.

A. C.

789. Concilio Chaltutensi, Adriano Papa concitante, rebus fidei in Anglia consulitur, qua ipsa occasione Offa Rex Egfridum filium fecit coronari, Alfwaldus Northumbriæ Rex à Patricio quodam miserabiliter occiditur.
790. Alfwaldus succedit in Regnum Osfredus Alcredi filius. Cruces in vestibus in Anglia apparent, plagam oppressionis Danicæ portendentes.
791. Brithricus Occidental. Saxonum Rex Offæ Regis filiam ducit.
792. Osfredus Rex dolo suorum periclitatus dum fuga sibi consulit Æthelredus. Mollonis filius substituitur, dum autem recipere conatur Regnum capitur & occiditur.
793. Æthelredus Rex Northumbriæ Ælfredam ducit, Regis Offæ filiam. Offæ Regis Uxor Æthelbertum filium Æthelredi hospitem clam mactari jubet.
794. Offa Rex monitus ab Angelo S. Albanum elevari curat.
795. Iterum portentosa in cælis signa Danorum incursiones annunciant.
796. Sigar Dux, qui Alfwaldum Regem peremerat, digno perit cruciatu.
797. Æthelredus Rex super inducit conjugem aliam, paulo post à suis interfect. succedit Osfredus sed post 25. dies moritur, huic Eardulphus substituitur, moritur eod. an. potentissimus Rex Offa, filio Egfrido succedente.
798. Kinulphus Mercior. Rex Cantiam invadens Eadbertum Regem captivum trahit, sed paulo post dimittit.

S. Alck-

A. C.

799. S. Alcmundus Northumbriæ Rex Martyrio coronatur.
800. Dani Angliam infestant & miserè omnia populantur.
802. Brithricus Occidentalium Saxonum Rex veneno gustato quod Regina alteri alicui paraverat, extinguitur, succedit Egbertus.
805. Æthelhardus Cantuariensis Archiepiscopus moritur, ætatis suæ gl'ria, & Cathedræ suæ restitutor.
807. Cuthredus Cantuariorum Rex morte abripitur, post quem Baldredus regnat.
808. Alfwoldus contra Eardulfum Northumbriæ Regem movens, ipsum Regno ejicit, eoq; biennium potitur.
809. Egbertus Occidental. Saxonum Rex Cornubiam armis subjicit.
810. Alfwoldus Northumbriæ Rex vita excedit, sufficitur Eandredus, Egbertus Rex Aquilonarem Britanniam suo imperio subjicit.
811. Pergit idem latius se exporrigere, & ab Aquilone ad meridiem usque omnia igne & ferro vastare.
813. Eruditionis & sanctitatis fulgoribus Europam implet B. Claudius Clemens monachus Hibernus, Parisiensis Universitatis Fundator.
816. Achaius Scotiæ Rex magnis se Virtutibus commendat, felix in omni vita, idemque primus, qui sædus cum Gallis inierat, & cum Carolo Imp.
817. Sanct. Ængulfus Hagiographus, Abbas & Epi-

A. C.

& Episcopus Hibernus claret.

818. Memorabili felicitate S. Notburga novem gemellorum mater Hiberna, Germaniam sanctitatis radijs illustrat.
819. Achajus Scotorum Rex felicissimus magno omnium luctu extinguitur, cui Congallus Dongalli filius Eugenij VII. nepos sufficitur.
821. Kenulpho Merciorum Regi defuncto succedit Kenelmus filius, Sanctus juvenis quem soror Regis Quendrida Septuennē creditum educavit, ac dein regnandi libidine dicta, in nemore quodam obtruncari fecit.
822. Impia Quendrida ulciscente Numine luit parricidium, dum innocentis repertum corpus siccis intueretur oculis, his illico è capite, ceu violenter extractis decidens.
823. Cæolulphus Regno pulsus Bernulphum habet successorem.
825. Bernulphum Regem Egbertus Occid. Sax. Rex bello cruentissimo vincit.
826. Bernulphus Merciorum Rex tanquam alieni Regni usurpator occiditur.
827. Egbertus Rex Occid. Sax. missis cum exercitu Ethelulpho filio pulso Baldredo Regnum Cantia cum Suthsexia occupat.
828. Idem Egbertus Ludicanum Merciorum interficit, successoremque ejus Wilafum, mox etiam Shwithredum Orient. Sax. Regem Regno ejicit.
829. Idem subactis jam omnibus Occid. Saxonū Regnis, contra Eandredum Northum-

† C

briae

A. C.

- bria Regem movens, vestigalem sibi facit.
830. Dongallus Scotonum Rex prudentissimus dum contra Pictos pro Alpino legitimo hærede movet, in trajectu Speiæ amnis rapidissimi mergitur. Egbertus in Walliam movens ipsam cum Regibus deditione ultronea occupat.
831. Alpinus Pictorum hæres Dongallo etiam apud Scotos succedit, magnumq; belli apparatus cogit Pictis edomandis.
833. Dani rursum 35. navium classe Angliam infestant & spolient.
834. Egbertus Rex huc usq; victoriosus, ingenti cum exercitu Danos aggressus, multos suorum perdit, hostibus prævalentibus.
835. Victor aliquoties Scotiæ Rex Alpinus, captus deniq; à Pictis decapitatur. Walliæ populi cum Danis contra Egbertum juncti, grandi prælio victi & fugati sunt.
836. Idem Egbertus novum Danorum supervenientes exercitum, memorabili victoria contrucidat, & in fugam præcipites cogit.
837. Supremus hic annus Egberto Regi fuit, Æthelulfo filio succedente.
838. Dani rursum 33. navium classe in Angliam vecti ab Ulfvardo Comite, multis milibus cæsis fugati sunt. Nec multo post alia superveniente classe Æthelhelmus Dux rem fortiter agit, demum incautior occiditur.
839. Dani magis ac magis invalescunt, dum fraus & proditio apud Anglos cum aliis sceleribus invalescerent, Hereberto à suis

A. C.

suis deserto & occiso.

840. Eandredus Northumbriæ Rex vivere desinit Aethelredo filio succedet.
841. Dani per Cantiam & Est - Angliam dirissime grassantur.
842. Profundius in viscera Angliæ seviunt Dani & multa mortalium millia, Doroverniæ, Londinij & passim contrucidant.
843. S. Nuadus filius Segeni in Hibernia, Martyrio coronatur.
844. Æthelulphus West-Saxonum Rex cum Danis congressus vincitur. Æthelredus autem Northumbriæ Rex Regno ejicitur, & Readvulphus sufficitur, qui mox contra Danos occumbit, & Æthelredus restituitur.
845. Earnulfus & Osnicus Duces, è Danis victoriam referunt.
846. Æthelstanus Episcopus cum Alchero Consule Classem Danicam armis tentans, novè majores naves debellat, reliquas fugat.
847. Celeberrimus ille & sanctissimus Patricius Ardinachanus Hibernus floret.
848. Æthelberto Northumbriæ Rege interfecto Osbertus sceptrum meretur.
849. Berthferus Berthulfi Regis Merciorum filius cognatum suum B. Wlstanum injuste peremit, columna lucis per 30. dies, è loco cædis in cælum porrecto.
851. Berthulphus Rex contra Danos occurrens, fugatur, quos paulo post Rex West-Saxonum Æthelulphus memorabili clade feliciter proffigat.
852. Berthulphus Merciorum Rex defungitur,

A. C.

- pro quo Buthredus imperat.
853. Ethelulfus WestSaxonum & Beornaredus Merciorum Reges Mediterraneo Britones bello vincerunt, sibiq; subjecerunt.
854. Æthelulphus Rex decimam Regni partem DEO & B. M. V. offert, ac dein Romam profectus, in reditu Juditham Caroli Gall regis filiam ducit.
855. Kennethus cognomento Magnus Scottorum Rex moritur, cum Regni alter fuisset restitutor, Pictis toto Regno ejectis. Eadmundus Orient. Anglorum Rex, pro meritis eligitur, etsi multū reluctaretur.
857. Æthelulphus WestSaxonum Rex religiosissimus moritur, cujus filius sceleratissimus Æthelbaldus, mox novercam Juditham conjugem rapit.
859. Nunc tandem pœnitens Æthelbaldus, novercam dimittit, Regnumque deinceps multa cum laude gubernat.
860. Dongallus IV. optimo fratri, nequissimus ipse succedens, cum regnum annis fere sex verius destruxisset quam gubernasset, conjectus à suis in carcerem, seipsum interimit.
861. Æthelbaldus WestSaxonum rex immatura morte decedit, post quam frater ejus Æthelbertus regio throno sublimatur.
862. Magnum Angliæ jubar Swithunus Ventanus Episcopus cælo infertur.
863. Dani simulata pace in Thaneta insula cum Insulanis amicè pacti nocte erumpentes è castris Cantiam Orientalem depopulationi aufugiunt.

- C.
864. Ingens sanctorum Monachorum multitu-
do Regnum Hiberniæ demeretur.
866. Æthelberto rege WestSaxonum mortuo,
Æthelredus frater rerum potitur.
867. Northumbri Osbertum regem suum deji-
ciunt. Ellam creant, verum supervenien-
tibus Danis, hi reconciliati, dum hosti
occurrunt, uterque occumbunt. Suc-
cedit in Regnum Egbertus quidam An-
glicus sub potestate Danorum.
868. Burchredus Merciorum & Ælfredus coacto
exercitu, Danos conclusos pacisci ad
tempus cogunt, cum eosdem expugnare
diffiderent.
869. Dani Northumbriam invadunt, totamque
illic hyemem commorantur.
870. Innumera multitudo Danorum Scotiam in-
vadit, cædibus omnia miscentes, quo nunc
anno S. Eblam Abbatiss. cum suis Virginibus
naribus & labro detruncatis Virginitate
conservasse volunt ac dein combustas.
S. Eadmundus Rex pro patria, & reli-
gione Martyr occumbit.
871. Est-Anglia pessumdata West-Saxon. inva-
dunt Dani, quibus cum congressi Æthelre-
dus Rex cum fratre Ælfredo insigni victoria
potitus est, duobus eorum Regibus cæsis.
Moritur paulo post Rex & frater succedit.
872. Northumbri regem Egbertum exaucto-
rant, quem Buthredus rex Merciorum
amicissimum recipit.
873. Egbertus rex exul moritur ricsio suffecto,
Danis Northumbrorum nequitiam hoc
ipso anno graviter placentibus.

A. C.

874. Invadunt denuo Scotiam Dani Picti eos vocantibus contra quos progressus optimus, Rex Constantinus, victus, captus & securi percussus est. Būthredus Merciorum Rex ab iisdem expulsus Romæ moritur, Regnum Danis tenentibus.
875. Ethus post Constantinum fratrem Scotis, nec ultra annum præfuit, homo nihili, in carcerem ideo coniectus perijt. Dani in Anglia sæviunt.
876. Haldenus Danorum Rex Northumbriam occupat, Riccio Rege inde morbum contrahente & moriente, cui Egbertus successit.
877. Ælfrédus Rex Danos mari prohibendos censens facile triumphat.
878. Ælfrédi Regis exercitus tres Reges seu Duces Danorum profligat. sed hi relecti duce Gytrone Rege. Ælfrédum in fugam agunt, qui suasu SS. Neothi & Cuthberti denuo congressus Victor est, Gytro autem convertitur.
879. Gyro Danorum nuper Sex, factus Christianus Estangliam incolit.
880. Iterum ingenti multitudine Dani Angliam occupant & vastant.
881. Ælfrédus Rex congressus cum Danis multa millia profligat.
882. S. Cuthbertus Eadredo Abbati apprensus, Cuthredum captivum apud viduam quandam Danam liberari jubet, & provinciæ Regem creari.
883. B Joannes Scotus mira eruditione Orbem Christianum percellit.

- A. C.
884. Classis Ælfredi Regis classem Danorum vincit, ab his postea somno oppressa haud leviter lacerata.
885. Ælfredus contra Danos aliosq; hostes consilio & armis prævalens, late regnum exporrigit, toti Europa admirationi.
886. Ælfredus Rex post multas populorum strages Londonium obsidet quam deditio-
ne accipiens restaurat, ad quæ illuc omnes Principes Angliæ confluunt, obtinetq;
primus ipse universæ Angliæ Monarchiâ.
887. Hastings Danus aliquamdiu . maritima pervagatus expavescens super fortuna Ælfredi Regis, in Gallias se vertit.
888. Ælfredus ut gratias Numini referret, nobilissima Monasteria & Basilicas honori Numinis erigit.
889. Non contentus Rex Angliæ Ecclesijs benefacere magnos thesauros Romam mittit.
890. Gyro Danus, Ælfredi dono Orientalium Saxonum Rex moritur Æthelsuita Ælfredi soror, Merciorum Regis vidua in cucullo moritur.
891. Optimis Legib⁹ Angliæ consultat. *Reg. Ælfredi.*
893. Gregorius Scotorum Rex, merito Magni cognomen adeptus, Danis alijsq; hostibus sæpe victis, & Hibernia subacta gloriosus moritur.
894. Dani rursus infesti Angliæ, ab Ælfredo Rege feliciter cæduntur.
895. Iterum congregatos hostes & extrema tentantes idem, cædit & fugat.
896. Danos denuo prope Longonium vincit, eorumq; naves incendit.

A. C.

898. Ælfradus Danis devictis Præfectos & Duces quibusque locis assignat, omniaque adversum insultus hostium communit.
899. S. Corpreus Episcopus Cluanensis magnis meritis illuster. obiit.
900. Ælfradus Monarcha Angliæ, temporale regnum æterno commutat, 5. Cal. Novembri. sepultus in Monasterio Novo, quod ipse fundaverat.
901. Eadwardus post patrem Ælfradum Regnans, Regni fines dilatat.
902. Æthelwardus patruelis Regis, spe Regnum devorans Danis jungitur, à Rege tamen, non sine multo sanguine vincitur & in acie cadit.
903. Donaldus Scotorum Rex multo nomine celebrandus, cum pro æquitate in factionum Duces animadvertisset, non sine veneni suspitione moritur.
904. S. Grimbaldus Magister quondam Ælredi, meritis maximis se commendans pergit ad præmia.
905. Concilium solemne in regione West-Saxonum celebratur, & Ecclesijs Angliæ, ac fidelium utilitati prospicitur.
907. Eadwardus rex Danorum reliquias toto regno excindit, diversosq; reges in ditionem accipit.
909. Eadvardus rex missis exercitu Danos in Northumbria opprimit.
910. S. Osvaldi regis & Martyris corpus è Bardeneia solemni pompa in Merciam transfertur.
911. Eadvardus invadentes Merciam Danos, gravi

A. C.

gravi clade atterit, duosque eorumdem Reges, cum multis proceribus in acie interimit.

912. Æthelredus Merciorum Regulus Ælfredi quondam Regis affinis moritur, vi-
dua deinceps Elfreda Mercijs imperan-
te.
914. Dani prope Lincolniam & Herefordiam
magna strage fusi.
915. Dum Herevordensem, Wigorniensem, &
Glovernensem provinciam vastant Dani,
oppressi à Rege pleriq; occumbunt.
917. Totus in monitionibus toto Regno exstru-
endis Eadvvardus versatur.
918. Multis victorijs illuster annus, quibus Ead-
vvardus, & Regina Elfreda Danorum di-
versos exercitus proffigarunt.
919. Elfreda Merciorum regina, relicta unica fi-
lia, religiosissimè vita defungitur.
921. Scotiæ rex Constantinus, sed & Reginaldus
Danus Northumbriæ rex odijque cum
Eadvvardo confæderantur.
922. Æthelvvardus Eadvvardi regis frater mo-
ritur. regnum Angliæ passim commu-
nitur.
924. Hoc tandem anno gloriosissimus rex, &
Monarcha Angliæ Eadvvardus mori-
tur. Succedit Æthelstanus filius, nascitur
S. Dunstanus.
925. Æthelstanus rex sororem Eadgitam Sithri-
co Northumbriæ regi despondet, qui
idolis renunciat, paulo post tamen rela-
bitur.

† C 5

Mori-

- A. C.
926. Moritur apostata Sithricus, cujus filium eicit Rex Æthelstanus, Scotumque inconstantij ingenij Regem armis cogit.
928. Robertus Normanniæ Dux arctissimam contrahit cum Æthelstano Rege amicitiam.
929. Æthelstanus sacra Regni loca invisit, in Glastoniensi autem Virginum Cænobio à S. Ælfleda nepte sua, prodigiosè aucto potu reficitur.
930. Idem Rex Regnum multis modis demeretur, eidemque variè consulit, multi egregia sanctitate Monachi & Pontifices clarent.
932. Sydus illustrissimum Angliæ S Birstanus ex Monacho Episcopus Wintoniensis, celebratur.
933. Iterum sua inconstantia animi Scotus Anglum concitat. Hic magna classe & juxta Equestribus copijs ipsum cogit sese demittere, & filium magnis cum muneribus dare obsidem.
934. Pessimo exemplo fratrem proprium Eadwinum sola suspicione, quod contra se aliquando eligendum crederet, mergi jubet Rex Æthelstanus.
935. Tam enorme scelus nunc detestatus Rex suaforem mali è medio tollit, ipse 7. annorum suscipiens pœnitentiam.
936. Ludovicus Caroli Galliarum Regis filius, apud avunculum Anglum hucusq; educatus, solempni pompa ad capeffendam Galliarum coronam evocatur.
937. Aulafus Hybernæ Rex, concitato Scoto ingenii

A. C.

- ingenti cum classe Angliam invadit, ingenti suorum clade repulsus, ægrè cum Scoto ad naves effugiens.
938. Ed tham Æthelstani Regis filiam, magna pompa conjugem ducit Ottho I. Imp.
939. Æthelstanus pro anima fratris innocentis à se merfi duo condit Canobia Middeltunense & Michelenense.
940. Moritur magnificus omnino Rex Æthelstanus, cui frater ejus Eadmundus successit, qui statim S Dunstanum in aulam accivit. Analafus Norvegus Angliam invadit, cui Rex partem Regni concedit.
941. Analafus sacrilegio se contaminans exusta quadam Ecclesia miserè moritur.
942. Eadmundus contra Danos movens, eosdem tota Mercia ejicit.
943. Nascitur Regi filius Eadgarus, cælo mirè applaudente. Analafus alius Sithrici Regis filius baptizatur. Moritur Constantinus inconstans Rex Scotiæ.
944. Mirè Anglias demeretur S. Dunstanus, à quo Rex Eadmundus dependet.
945. Malcolmus Scotiæ Rex prudentissimus & optimus Eadmundum Regem amicum nanciscitur.
946. Eadmundus solemnissimo ex more S. Augustini Angliæ Apostoli festo, & epulo, à proscripto quodam scelerato, cultro confoditur, succedit Eadredus frater.
947. S. Elphegus Wintoniensis ex monacho Episcopus, cælum felici transitu, triumpho implet, vir prophetiæ spiritu clarissimus.
948. Northumbros rebelles armis domat

- A. C.
950. Rex Eadredus & fortiter agit.
S. Malcalinus Hibernus cum 12. Socijs Gal-
lias insigniter demeretur.
952. B. Gregorius trium Regum Æthelstani Ead-
mundi & Eadredi frater ex monacho po-
stea Einsidlensis in Germania Abbas, san-
ctitate floret.
953. Felicissimum Angliæ Regnum, dum Dun-
stani consilio regeretur, etsi id honoris
Monacho multi ambitiosi inviderent.
955. Supremus hic annus Eadredo optimo Regi
fuit, monito è cælis S. Dunstano, qui à
confessionibus ipsi erat: Jam in pace qui-
evisse, successit Edwinus quem S. Dun-
stanus ipsa coronationis die mirè con-
vertit.
956. Mittitur in exilium S. Abbas Dunstanus, ex
quo tempore omnis felicitas Angliam
deseruit.
957. Edwinus à suis met Regno ejicitur ejusque
frater Edgarus Rex salutatur, qui statim
Dunstanum revocans, felicitatem simul
Regno reddidit.
958. Defuncto Cantuariensi Archiepiscopo Sanct.
Dunstanus ab Edgardo Rege substituitur.
Edwino pars Regni conceditur.
959. Edwinus nunc Semirex, petulanter gestum
Regnum cum vita deserit solus Edgarus
regnat Malcolmus optimus Scotiæ Rex,
dum Regnum latrocinij purgat, & libi-
dini juvenum obnititur, è medio tolli-
tur.
960. S. Dunstanus miraculosum Regni præsidii-
um magnis se meritis probat.

A. C.

961. Ordgarus Comes pater Ælfridæ reginæ fundat Monast. Tamstocke.
963. Prodigiôsæ sanctitatis vir S. Ethelwoldus ex Abbate Abendonienfi fit Episcopus Wintonienfis.
964. Aliud admirabile fanè sydus Angliæ illucefcit S. Ofwaldus ex Monacho Floriacenfi, Wigornienfis Episc.
966. Mirificè meretur de regno Angliæ rex Eadgarus, dum viros sanctiffimos ad Episcopatus provehit, alter etiam est Monastici Ordinis restitutor.
968. Miris modis consulit regi & regno S. Dunstanus Cantuarienfi Archiepiscopus, varia celebrans Concilia pro Ecclef. disciplina.
969. Idem rex diffolutione vita Clericorum offensus Cathedrales etiam Ecclesias Monachis tradit.
970. Concilium Generale adversum incontinentiam Clericorum, sollicitante S. Dunstano celebratur, cui ipse à Papa præfidere jubetur.
971. S. Dunstanus graviter lapsum regem admiranda magnanimitate corripit. Moritur Eadmundus regis filius.
972. Duffus Scotorum rex optimus, dum latrocinia publica regni strenuè ulciscitur, reosque etiam Nobiles suspendio tollit, à conjuratis interficitur.
973. Tanto post indeptum regnum Eadgarus rex solemnî pompa coronatur.

† C 7

Idem

- A. C.
974. Idem Rex ab octo Regibus juramentum fidelitatis accipit.
975. Grandi prodigio, pro Monachis contra Clericos fert sententiam in pleno Concilio, Crucifixi imago. Moritur ipso anno gloriosissimus Rex Eadgarus, Eduardo filio succedente.
976. Cometa horribilis visus, magna exin fame consequente, quo tempore, ut & alias S. Ethelwoldus Wintaniensis Episc. multa millia pavit.
977. Culenus Scotorum Rex homo omni flagitiorum genere infamis, & inutilis à Rohardo Thano, cujus filia per vim stuprum intulerat mactatur.
978. S. Eduardus Rex Angliæ, novercæ scelere confoditur, succedit hujus filius Æthelredus, ipsa etsi pœnitens, vermibus tota consumpta scribitur.
979. Synodo Calnæ celebratâ, dum Clerici contra Dunstanum & Monachos insurgunt, Solario repente concidente, ijs qui cum Dunstano sentiebant salvis, reliqui vel examinantur, vel perpetuo languore plectuntur.
980. Dani Angliæ denuo infesti, prout Regi prædixit S. Dunstanus ejusque matri ob eadem S. Eduardi.
981. Æthelredo Regi nascitur filius Eadmundus sive Edinundus.
982. Piratæ ad Dorsetensium provinciam appulsi Portlandiam vastaverunt.
983. Aethelredus dum à Rossensi Ecclesiæ pecunias extorquet, neque commonente Dun-

A C.

Dunstano desistit, hic pœnam prædicat,
quæ dein sequuta est.

984. Magnum Angliæ Sydus S. Ethelwoldus
Wintoniensis Episcopus extinguitur.

986. Rex pro eo quod Rossensi Ecclesiæ detra-
xerat nunc prædicente Dunstano tribu-
tum pendere Danis cogitur.

987. Magna mortalitate, & homines & jumenta
in Anglia consumuntur.

988. Magnus & mirificus Dunstanus, à Cherubin
& Seraphin ipsis ad æterna præmia evo-
catur, cumq; ipso omnis felicitas Regno
Angliæ emigrat.

990. Aethelredus Rex & Richardus Normanniæ
Dux graviter colliduntur.

991. Iterum infesti Angliæ Dani decem millium
librarum pensione sopiuntur.

992. Danis Angliam infestantibus Dux Aelfricus
ad ipsos transit, contra quos Londonien-
ses feliciter pugnant, cæsis aliquot milli-
bus.

993. Ex ipsis Anglis plures proditores, patriæ
nocumento hostibus præsulio sunt.

994. Suanus Rex Daniæ cum Aulaso Rege Nor-
vegiæ Londonias frustra obsident, hic
ad Christum conversus baptizatur.

995. S. Cuthberti corpus cælesti oraculo solem-
niter transfertur.

997. Wallia & plurimæ Anglorum provinciæ à
Danis igne & ferro nemine obstante, mi-
serè vastantur.

998. Turbata incursionibus Danorum omnia,
Anglis mutuo non fidentibus, quod
muli

- | A. | C. |
|-------|---|
| | multi Danico orti sanguine hostibus fa-
verent. |
| 999. | Cantiam miserè pessumdant Dani, quibus-
cum congressi Cantuarienses, post lon-
gum conflictum victi sunt. |
| 1000. | Dum Dani Normanniam hostiliter petunt,
Æthelredus Rex Anglorum Monam in-
sulam armis subjugat. Kennethus Scotiæ
Rex cætera laudatissimus, sed fratruelis
ex ambitione cæde contaminatus, incer-
tum cujus scelere perimitur. |
| 1001. | Dani ex Normannia reversi Exonium fru-
stra obsident, quibuscum paulo post
congressi Angli magna cæde victi sunt.
Constantinus Scotiæ Rex in pugna qua-
dam domestica occiditur. |
| 1002. | Æthelredus Rex iterum cogitur pacem à
Danis auro redimere. |
| 1003. | Eadrico viro ignobili & proditori idem Rex
Ducatum Merciorum donat. |
| 1004. | Dani velut locustæ Angliam totam miserè
depascuntur. |
| 1005. | Angliam tanta affligit fames, quanta num-
quam antea invaserat. |
| 1006. | Eadricus Dux invitatum per speciem ami-
ciæ Æthelstanum Ducem inter venan-
dum mactari curat. |
| 1007. | Suanus Danorum Rex ingenti exercitu to-
tam pessumdat Angliam, cogiturque de-
nuo Anglus ingenti pecuniæ vi hostem
avertere. |
| 1008. | Æthelredus Rex classem ingentem instruit,
inutili labore. |

A. C.

1010. Grimus Scotorum Rex ex optimo pessimus
â Malcolmo laceffitus, captus oculisque
orbatus mœrore moritur. Cum Danis
congressi Angli victi sunt.
1011. Suanus Danorum Rex Cantuariam occu-
pat. S. Ælphegus Archiepiscopus gravis-
simis supplicijs excruciatu Martyr oc-
cumbit. Danis tributum 48. millium li-
brarum persolvitur & pax constituitur.
1012. Dani in societatem Anglorum assumpti
dum insolentius agunt, ex condic̄to, toto
Regno festo S. Briçtij omnes interimuntur.
1013. Ulturus suorum necem Rex Suanus ingenti
classe Angliam invadit, ferro & igni om-
nia vastans, Æthelredus Rex in Nor-
manniam profugit.
1014. Suano, ulciscente Numine, extincto Cnuto
filius Rex inauguratur. Æthelredus in
Regnum revocatur, & magna pompa
suscipitur.
1015. Cnuto Rex, Daniæ rebus compositis, An-
gliam obruens, multis provincijs poti-
tur. Moritur Æthelredus, pro quo filius
Eadmundus imperat.
1016. Rex Eadmundus tertio victor de Cnutone,
proditione demum Eadrici magnam pa-
titur stragem, postea singulari certamine
hostem vincens, amicum nanciscitur,
paulo post scelere Eadrici in latrina con-
foditur.
1017. Cnuto sublato æmulo, etsi jam collega, un^o
Angliæ imperat, qui mox insultantem si-
bi Eadricum strangulari, & in Thamesim
projici jubet.

Cnuto

- | A. C. | |
|-------|--|
| 1018. | Cnuto Emmam Ethelbredi Regis viduam ducit, cujus suafu exercitum in Daniam remisit. |
| 1019. | Compositis Angliæ rebus, ipse Cruto in Daniam revertit. |
| 1020. | Cnuto reversus in Angliam Regem dein optimum & religiosissimum egit, sub quo Anglia egregiè refloruit. |
| 1021. | Mirè beneficus in Ecclesias & Monasteria Cnuto, quædam de novo struit, quædam egregiè dotat & ornat. |
| 1022. | Conventu Oxoniæ celebrato pari consensu Dani Anglique in Anglia Daniaque Leges Eduardi Regis tenendas constituunt. |
| 1023. | Corpus S. Ælphegi solemniter transfert Rex Cnuto, parentibus suis supplicem veniam rogat, mirè beneficus & liberalis in Anglos. |
| 1024. | Cnuto cum Anglis & Danis in Suenos movens, multos suorum perdit. Godwinus Comes cum Anglis, nesciente Rege hostes opprimens, innumeros perimit, Rege deinceps Anglos magni faciente. |
| 1025. | Cnuto & Emma, Wintoniense Cænobium auro & gemmis cumulant. |
| 1026. | Cnuto Rex Edmundi antecessoris tumulum muneribus ornat. |
| 1027. | Cnuto audiens Olavum Regem à Norvegis vilipendi, auro sibi illos devincit, qui mox pro capescenda corona invitant. |
| 1028. | Cnuto magna advectus classe Norvegiam occupat, Olavum ejicit. |

- A. C.
1029. Ab Hacone Danico Comite præpotente metuens Cnuto, ipsum in exilium ablegat.
1030. Norvegi S. Olavum Regem securi percipiunt, quod nimirum idololatriam & impios ritus profligaret.
1031. Cnuto peregrinationem Romam solemniter suscipit, S. Petro ingentia afferens munera, & vitæ emendationem promittens.
1032. Celeberrimum S. Edmundi Monasterium ab Ægelnotho Archiep. dedicatur.
1033. Cnuto magno cum exercitu Malcomum Scotiæ Regem rebellantem facili negotio superat, inde Abbatiam S. Benedicti de Ulmo fundat.
1035. Idem Suanum filium Norvegiæ, Hardecnutum ex Emma natum Daniæ Regem coronat, reversus autem in Angliam paulo post moritur.
1036. Heraldus ex concubina natus à nonnullis, prælatus legitimus Rex Angliæ salutatur. Emma Regina ab hoc ejicitur, & ad Balduinum Flandriæ Comitem se recipit, Godwino Cantix Comite, pro Emmæ filio laborante.
1037. Ælfredus Æthelredi Regis filius è Normannia advectus cum classe, specie amicitix è Godwino exceptus capitur, & jussu Haraldi exoculatur.
1038. Magna confusione rerum Anglia jactatur, diversis diversa spectantibus.
1039. Hardecnutus Daniæ Rex ad matrem Emmam in Flandriam pergit.

- | A. C. | |
|-------|--|
| 1040. | Malcolmus Scotiæ Rex dum senili avaritia opulentiores gravius mulctat, à corruptis pecunia ministris nocte trucidatur. Moritur Angliæ Rex Haraldus, Hardecnudus coronatur, qui Haraldus corpus demergit. |
| 1041. | Hardecnuti Regis soror, Henrico Imperatori ingenti pompa jungitur. |
| 1042. | Hardecnutus in solemni quodam convivio, repente concidens, linguæ usu privatus 6. Id. Junij extinguitur Eduardo fratre succedente. |
| 1044. | Rex Eduardus Æditham Godwini potentissimi Consulis filiam ducit. |
| 1045. | Idem magnam instruit classem contra Norvegiæ Regem, qui Angliam tentaturus dicebatur. |
| 1046. | Duncanus Scotiæ Rex laudatus, bello & pace clarus, consobrini insidijs Macbeti ad Ennernessum obtruncatur. |
| 1047. | Macbetus Scotiæ Tyrannus potentiores Regni magnis largitionibus sibi devincit, & prudenter aliquamdiu imperat. |
| 1048. | Danos Angliæ denuo infestos nonnulli scribunt, sed & Norvegos Eduardo Regi vim intentasse. |
| 1050. | S. Joannes monachus Hybernus, primus Mechelburgensium in Germania Episcopus Apostolico labore æternum meretur. |
| 1051. | Eduardus Rex gravissimo vestigali Anglos absolvit. Wilhelmus Normanniæ Dux in Angliam veniens ab eo honorificè excipitur. Godwinus & filij gravius offensi |

- A. C.
1052. fensi Anglia excedunt, in Flandriam profugi.
 Emma Regina, Æthelredi & Cnutonis Regum vidua moritur. Godwinus & filij Angliam armis infestant. Pax denique inter ipsos sancitur.
1053. Godwinus sibi imprecatus sumpta buccella in Regis mensa suffocatur, cujus Ducatum Rex Haraldo filio ejus tradit.
1054. Rex misso in Scotiam exercitu Macbetum Regem, multis Scotorum millibus interceptis Regno ejicit.
1055. Siwardo Northumbriæ Duce mortuo Ducatum Tostoni, Haraldi fratri confert. Griffinus Wallensium Princeps Angliam infestat, sed consopitur.
1057. Eduardus Rex cum hæredem non haberet, filium fratris sui Edmundi Eduardum Juniorem ex Ungaria evocat, hic paulo post moritur.
1059. De Guilielmo Normanno à Rege per Haraldum evocato, ut hæredem Regni institueret, nonnulli nunc varia afferunt, sed valdè dubia, ita ut nihil probare possim.
1060. Implet Europam fama S. Lanfrancus postea Cantuariens. ex Abb. Archiepisc. publicis primùm de Diacætica Scholis institutis.
1061. Macbetus Scotiæ Tirannus cum Fifæ Thano pararet insidias, ab ipso præventus, occisus est.
1062. S. Wolstanus Wigorniensis Monachus totius Angliæ decus singulare mira exsplendescit vitæ sanctitate.
1063. Haraldus ejusque frater Tosto seu Tosticus
 Grif-

- | A. C. | |
|-------|---|
| 1064. | Wallenses Regi suo caput detruncant, & Haraldō Duci mittunt. |
| 1065. | Solemnis inventio Sancti Oswini Regis ac Martyris, cujus capillorum partem, Juditha Flandra Toftonis Ducis Uxor in ignem injecit illæfosque iade recepit. Tofto & Haraldus Duces graviter colliſi. |
| 1066. | Moritur Rex Eduardus vir ſanctus & prophético ſpiritu inſignis. Certant de Regno fratres Haraldus & Tofticus, hunc Haraldus Noruegiæ Rex adjuvat, ſed uterq; occumbit in prælio. Verum Victorem deinceps aggreſſus Wilhelm. Normannus, eo occumbente Regnum obtinuit. |
| 1067. | Rex Wilhelmus ſolemniter coronatur, mox Abbatiam de Bello ſtruit pro gratiarum actione, multiſq; ſpolijs & muneribus ditat. |
| 1068. | Mathildis Regina ſolemniter coronatur, naſcitur Henricus I. |
| 1069. | Swanus Godwini filius, frater Haraldī & Toftonis Angliam invadit, cui ob inſolentiam Nortmannorum præcipui occurrunt, quos Rex promiſſis revocat. |
| 1070. | Guilielmus ex rege Tyrannus, promiſſa retractat, Nobiles mali tractat. |
| 1071. | S. Lanfrancus Cantuarienſium Archiepiſc. conſecratur. |
| 1072. | Guilielmus rex Scotiam armatus invadit |

- A. C.
1073. dit cui Scotus homagium præstat. Normannos jam rebelles factos, armis cogit rex Wilhelmus.
1074. B. Wolstanus injuste exauctoratus, baculum pastoralem lapidi sepulchrali Sancti Eduardi infigit in pleno Consilio, quem nemo nisi ipse potuit recipere, rogantibus veniam, qui depositum volebant.
1075. Conjuracionem contra se detectam ulciscitur rex Wilhelmus.
1076. Terræ motu magno concutitur Anglia. Walteofus Dux decollatur.
1077. S. Lanfrancus Sacramentariorum Hæresim doctè profligat.
1079. Walliam aggreditur magno exercitu rex Wilhelmus, & sibi subjugat.
1080. Wilhelmus Rex Regno consulit, locaque munita condit.
1081. Iterum magno terræmotu concutitur Anglia.
1082. B. Marianus Scotus, Ven. Bedæ consanguineus Angliæ facem præfert.
1083. Obijt Mathildes Uxor Wilhelmi Regis Fundatrix Monasterij Cadomensis, in quo sepulta est. Avaritia regis multa extorquet.
1084. Wilhelmus rex ab omnibus Homagium exigit, & pecunias extorquet.
1085. Wilhelmus in Prædones publicos rigidè inquirat, & magnam regno securitatem reddit.
1087. Anglia peste & fame laborat. Wilhelmus rex in Normanniam migrat, Gallum bello premit, nec multo post moritur, succ-

- | A. C. | |
|-------|--|
| | succedit Wilhelmus II. qui in Angliam contendens à S. Lanfranco coronatur. |
| 1088. | Consopit multorum studia largitionibus & promissis Wilhelmus II. cogn. Rufus qui fratrem ejus ætate majorem ad Regnum promotum volebant. |
| 1089. | S. Lanfrancus mirè meretur de Ecclesiis bellum Normanicum parat. |
| 1090. | Graviter afflictus à Rege fratre Robertus Normannus reconciliatur. |
| 1091. | Malcolmus Scotorum Rex Angliam invadens superveniente Rege cum exercitu eidem fit supplex. |
| 1092. | Iterum ausus invadere Angliam Scotus intercipitur & mox mactatur. |
| 1093. | Magnus ille Anselmus, æternum Angliæ decus, Archiepiscopus sacatur. |
| 1094. | Rex Wilhelmus cogit Northumbriam, & fratrem contra Normannas mittit. |
| 1095. | S. Wolstanus Wigormensis Episcopus ad præmia æterna vocatur. |
| 1096. | Robertus Normannus Regis frater expeditionem sacram suscipit. |
| 1097. | Nunc primum Malcolmum Scotiæ Regem nonnulli occisum volunt. |
| 1098. | Rex Guilielmus nec Ecclesiis parcens sua avaritia odiosissimus est. |
| 1099. | S. Anselmus etiam exul mire meretur de Ecclesia. |
| 1100. | Wilhelmus Rex in venatione casu trajectus sagitta miserè perit Sanctis ultionem de Sacrilego poscentibus, quod Sanctus Anselmus vidit. |
| 1101. | S. Anselmus ab Henrico I. Wilhelmi fratre |

A. C.

& successore revocatur Donaldus Scotorum Rex, Regno altera vice ejectus, re-tractus in carcere obiit.

1102. Concilium Londinense celebratur præsi-dente S. Anselmo.
1103. S. Anselmus pro Ecclesiæ libertate Regi se opponens in exilium mittitur.
1104. Henricus Rex cum Roberto fratre Norman-niæ Duce graviter colliditur, magna pas-sim rerum confusione, S. Anselmus Lu-gdunum exulat.
1105. Robertus cum Rege reconciliari volens re-jicitur, minitabuadus recedit, obsidetur, elabitur, & magnum congregat exer-citum.
1106. Congressus cum Rege magnis viribus & a-nimo, victus capitur, sed cum splendide haberetur, repente elapsus, & retiactus ex fuga exoculatur.
1107. Rex S. Anselmo reconciliatur. Hic Conci-lio præsidet, quo Rex annuit in perpetuum abstinere investituris.
1109. Cælos triumpho implet S. Anselmus felici transitu, æternum Angliæ ornamentum, immaculatæ conceptionis B.M.V. asser-tor principalis.
1110. Mathildem Henrici Regis filiam ducit sole-mni pompa Henricus Imp. Edgarus Sco-torum Rex omnibus gratissimus bonis, malis formidandus moritur.
1111. Fames maxima invalescit & mortalitas a-nimalium. Henricus Rex contra Co-mitem Andegavensem è Normannia pu-gnat.

A. C.

1112. Sequitur lues pestilens inter homines. Bellum Andegavense sopitur.
1113. Henricus Rex ducto in Walliam exercitu, ille ad libitum promptos subditos reperit. Cantuariensis & Eboracens. Archiep. contendunt.
1114. Thamensis fluvius, & mare per 12. millia, biduum totum exsiccantur.
1116. Colliduntur graviter Reges Angliæ & Galliarum, ex quo multa deinceps mala exorta sunt.
1117. Terræmotu concutitur Anglia, & luna tota verti visa in sanguinem.
1118. Mathildes Regina Angliæ extinguitur.
1119. Henricus Rex grandi cum exercitu Ludovicum Gallorum Regem adoritur, & victoria non sine multo sanguine potitur, cum ipse bis in capite læsus esset.
1120. Guilielmus & Richardus filij Regis Henrici, cum filia & nepte ejusdem multisque proceribus naufragio pereunt, dum post victoriam Angliam repeterent.
1121. Ætheliciam Ducis Lovaniensis filiam ducit Rex Henricus & coronari curat. Iterum movet contra Wallenses qui ipsi supplices occurrunt.
1123. Normannia inexpugnabilibus castris munitur.
1124. Henricus Rex edicto solemnî comas præscindi jubet toto Regno, cum eouq; viri haud aliter quam sæminæ capillos nutrent.
1125. Alexander Scotiæ Rex Justitiæ cultor eximius

A. C.

mius obiit, David fratre in Regnum succedente, ab eximia sanctitate commendato.

1126. Mortuo Henrico Imp. marito Mathild. Imp. ad patrem Regem in Angliam revertitur, cui mox omnes Angliæ & Normanniæ proceres fidem dare iussi sunt.
1127. Galfridus Andegavensis Comes prædictam Imperatricem ducit conjugem.
1128. Henricus contra Galliæ Regem movet, donec promitteret Flandro non assistere.
1129. S. Celsus Atdmachanus in Hybernia Archiepiscopus moritur, & S. Malachum postulat successorem Mauritio Domnaldi filio sedem invadente.
1130. Dedicatur magna solemnitate Cautuariensis Ecclesia, Innocentius Papa apud Carnutum honorificè ab Henrico Angl. Rege excipitur.
1132. Londoniensis civitas, tota ferè exurit. Galfrido Andegavensi ex Henrici Regis filia, nascitur Henicus filius.
1133. Galfrido nascitur alter filius, quorum nepotum suorum amore tractus Rex Henricus moratus deinceps est in Normannia.
1134. Robertus exoculatus Regis frater in carcere moritur, mœrore confectus quod Rex ipsi vestem pro se factam, sed non nihil arctiorem, misisset.
1135. Supremus hic annus Regi Henrico fuit, qui in Normannia decessit, inde in Angliam translatus, succedit, Stephanus Boloniensis ex sorore nepos.

- A. C.
1136. Celeberrimum S. Columbæ in Hybernia Cænobium incendio perijt.
1137. Stephanus Rex suspectus habens potentiam Roberti Gloverniæ Comitis ipsum per insidias intercipi jubet, verum ab his ipsis monitus effugit.
1138. Robertus per suos Legatos Regi Homagium præstat. Sed cum Rex captum vellet, & ille occurrere nollet, proscibitur. Rex Scotiæ ducto in Northumbriam exercitu hostiliter agit, prius autem se recipit, quam Stephanus occurreret.
1139. Mathildes Imp. una cum Roberto Glovernensi magno comitatu venit in Angliam.
1140. Imperatricis exercitus cum Rege Stephano confligit, hic capitur, sed paulo post dimittitur. Colloquio de pace habito, nihil æqui impetratur.
1141. Nunc primum captum Regem volunt, sed cum Robertus Comes paulo post & ipse caperetur, utrumq; dimissum. fervent contentiones eadem & bella.
1142. Rex Stephanus obsidet Imperatricem apud Oxoniam, sed ipsa evasit.
1143. Lincolniam obsidet Rex Stephanus, sed re infecta discedere cogitur. In Hybernia S. Gelasius inter Connaciæ & Mediæ Reges cotrahit.
1144. Robertum Gloverniæ Comitem, repente aggressus Rex in fugam agit.
1145. Cestriæ Comitem pacificè occurrentem in carcerem Rex conjicit, donec Lincolnæ Castrum dederet, & velut re bene gesta coronam capiti imponit.

- A. C.
1146. Mortuo Turstano Eboracensi Archiepiscopo Henricus Cister. monachus creatur.
1148. Concilio Hybernæ Episcoporum adest Magnum Malachias, & inde orator missus ad Rom. Pont. apud Claram vallem extinguitur.
1149. Galfricus Dux Normanniæ Henrico filio Ducatum tradit, cui ex parte matris debebatur, unde haud leviter offensus est Rex Galliarum.
1150. Dum Gallus contra Normannum movet & hic vicissim grandi cum exercitu occurrit, peramantes pacis Principes, res componitur, Dux fidem promittit.
1151. Moriuntur eodem anno Adelia Regina Uxor Stephani Regis ejusq; frater Theobaldus Comes Blefensis, pauperum pater dictus.
1152. Henricus Northumbriæ Princeps Regis David in Scotia filius optimus maximo omnium luctu ante patrem moritur. Obijt etiam Eustachius filius R. Steph.
1153. David Scotorum Rex præstantissimus hoc anno filium subsequitur Malcolmmo nepote Regni primatibus commendato & hærede Regni dicto.
1154. Stephanus Angliæ Rex carne solvitur, & in condito à se Feuershamensi Cænobio sepelitur, cui in Regnum Henricus Normanniæ Dux sufficitur.
1155. Henrico Regi filius Henricus nascitur. Hugonem dein de Mortuo mari bello opprimit, & castella demolitur quæ contra Regem struxerat.

- | A. | C. |
|-------|---|
| 1156. | Primogenitus Regis Henrici moritur. Henricus idem cum Galfrico fratre collisiva varia per Normanniam loca aggreditur. |
| 1157. | Rex Walliam armata manu subigit. Contra Scotum feliciter pugnat. |
| 1158. | Henricus Rex apud Wigorniam solemniter coronatur. Galfricus moritur. |
| 1159. | Idem Rex contra Tholosanum Comitem arma movet. |
| 1160. | Idem filium Septuennem cum trienni Gallie Regis filiola desponsat. |
| 1161. | Cantuaria pene tota exurit. B. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus eligitur, pax inter Reges Angliæ & Galliæ sancita. |
| 1162. | S. Thomas sigillum regium resignat ægritus ferente rege, & ex curiali totum se Monasticis & suæ Ecclesiæ curæ impendit. |
| 1163. | S. Thomas interest Concilio Turonensi scoticiæ Rex homagium facit. |
| 1164. | S. Thomas pro libertate Eccl. regi se opponens in exilium agitur. |
| 1165. | Henricus rex expeditionem suscepit in Walliam & feliciter confecit. |
| 1166. | S. Thomas fautores causæ Regiæ excommunicat, ejus consanguinei ejiciuntur, ipse etiam in Gallijs Regis iram experitur. |
| 1167. | Reges Angliæ & Galliæ denuo colliduntur. S. Thomæ Gallus & Papa, moritur Mathildis Imperatrix. Junior Mathild Regis filia Sax. Duci jungitur. |
| 1168. | Henricus Rex Angliæ schisma procurat contra |

A. C.

contra Alexandrum Papam in odium S. Thomæ, & Regnum ab obedientia Papæ avertit.

1169. Eleonora Henrici Regis filia Alfonso Regi Castiliæ desponsatur.
1170. Henricus Henrici Regis filius à Rogerio Archiep. Eborac. coronatur contra libertatem Cantuar. Ecclesiæ inde à S. Thoma suspenditur ab officio. S. Thomas, in propria Ecclesia Martyrio coronatur.
1171. Pulcherrimo humilitatis exemplo Rex publicè pœnitentiam agit super cæde S. Thomæ: etsi ipse non iusserit.
1172. Absolvitur solemniter Henricus rex Angliæ claret magnis miraculis S. Thomas Cantuariensis.
1173. Idem gloriosissimus Martyr & Pontifex solemniter canonizatur.
1174. Angliæ motibus afflictissimus rex dum S. Thomæ fit supplex mirè triumphat.
1175. Rex Scotorum denuo reconciliatur, & humagium Anglo præstat.
1176. Joanna Henrici Angl. regis filia regi Siciliæ desponsatur.
1177. Rex Angliæ transfretat in Normanniam, & cum Gallo pacem init.
1178. Henricus rex gratias persolvit ad tumulum S. Thomæ, ac dein una cum Gallo ad sacram expeditionem sese accingit.
1179. Ludovicus Gall. rex ad S Thomam Cant. peregrinatur, & cum mare mirè pertimesceret, pro se & pro alijs dein eo transitu usuris, nequis naufragaretur B. Thomam

A. C.

- Thomam orasse dicitur, idq; eo ex tempore creditur impetrasse.
1180. Ludovico Galliarum Regi mortuo, successit Philippus, qui cum Henrico Angl. rege, de novo fœdera amicitiae inivit.
1182. Henricus Rex ingentem pecuniae vim, pro honore S. Thomae, & pro peccatis suis in subsidium terrae Sanctae misit.
1183. Henricus Rex Junior patrem morte praevenerit, maximo Regni luctu.
1184. Henricus Rex generum suum Henricum Leonem Saxoniae Ducem cum omni familia ducit in Angliam, cujus uxor post paucos dies edit Wilhelmum Ducem.
1185. Henrico Regi corona Hierosolymitana offertur, sed recusat.
1186. Galfridus Comes Britanniae filius Regis Angliae, relicta uxore gravida moritur, post cujus obitum Arthurus posthumus nascitur.
1188. Philippus Galliarum, & Henricus Angliae rex consultant de expeditione sacra, & uterq; crucem suspicere concludunt.
1189. Bellum sacrum suspicit Imperator, Gallo Angloq; ob simultates tardantibus Anglus paulo post moritur succedente Richardo filio.
1190. Conveniunt profecturi in terram Sanctam Anglus Gallusque magno apparatu, magna primum concordia, quae hoc anno minimè duravit.
1191. Messana denique solvunt, & feliciter navigant, felicibus primum successibus bellum

A. C.

- lum aggressi, mox fortunam discordia pessumdante.
1192. Ludovico Galliarum revertente, relictis Anglo aliquot millibus plures hic urbes expugnat.
1193. Gallus Normanniam & Flandriam invadit, quo comperto Richardus Rex domum properat, sed à Leopoldo Austrio ob injuriam aliquam intercipitur.
1194. Magno se litro redimit Anglus ut Gallo occurreret, solutus ante omnia ad S. Thomæ Cantuar. corpus peregrinatur, intestinos tumultus consopit, ac dein movet in Galliam.
1195. Jurato odio Galli Angliq; dimicant & varias vicissim urbes occupent.
1196. Conveniunt Reges, pacti amicitiam, non diu duraturam.
1197. Iterum collisi Reges, multos in partes trahunt.
1198. Gravi prælio congressi Reges, Gallus ab Anglo in fugam agitur.
1199. Compositis rebus, dum Rex Richardus suis intendit & rebelles in castro Calucensi obsidet, quodam balistæ vulneratus spiculo, dum minus curat vulnus, extinguitur, succedente in Regnum Joanne fratre.
1200. Reconciliantur de novo Galli Angliq;. Joannes rex conjugem ducit Isabellam, Comitis Engolismensis filiam.
1201. Joannes Rex in Gallias occurrens magno plausu à Rege Francorum excipitur Parisijs, qui proprium ipsi palatium cedit.

- | A. C. | |
|-------|--|
| 1202. | Quod Arthuro nepoti reddere nollet ablata Joannes Rex, qui ad Francos se receperat, Galli denuo cum Anglis colliduntur. |
| 1203. | Joanne Rege in luxum prolapso omnem ferè Normanniam Gallus occupat. |
| 1204. | Pergit deliciari Rex Joannes, cui Franci non solum Normanniam jam totam, sed Andegavensem, Turonicam & Pictavensem provincias eripiunt. |
| 1205. | Simulato magno belli contra Francos apparatu, Rex Angliæ magnam à Statibus auri vim extorquet. |
| 1206. | Aufus deniq; aliquid Rex Joannes Castrum montis Albani fortiter expugnat. Inde biennij induciæ subsequuntur. |
| 1207. | Henricus filius Regi Joanni nascitur, hic magnis exactionibus Ecclesias vexat. Cantuarienses Monachos ceu læsæ Majestatis reos Monasterio ejicit, ob electionem se non rogato susceptam. |
| 1208. | Anglia tota generali interdicto subjicitur, quo irritatus Rex omnia Clericorum bona confiscari imperat. |
| 1209. | Hoc anno contra multorum sententiam nascitur Joanni Regi Richardus filius. Rex movens in Scotum, auro avertitur, idem ob immania sacrilegia excommunicatur. |
| 1210. | Pergit intolerandis exactionibus vexare Sacros homines Rex Joannes, & contra Hybernos movens, primo adventu eos subigit. |
| 1211. | Absolvuntur à fidelitate Regis Angliæ cum Legatorum Apostolicorum mo- |

A. C.

nita contemneret.

1212. Joannes ab omnibus desertus, Regno exuitur, miserq; ac miserabilis exul vagatur.
1213. Nequa spes Joanni superesset Regni recuperandi, regi Galliarum executio à Rom. Pont. demandatur, qui ingentem contra Anglos cogit exercitum.
1214. Resipiscit denique Joannes, & ut tantum averteret malum supplex per Legat. Pontifici, hujus fit tributarius, & restituere ablata Ecclesijs pollicetur, atque ita absolvitur.
1215. Idem à Baronibus Regni, quod promissa non servaret hostiliter appetitur, Ludovico Galliarum regis filio contra ipsum rege designato.
1216. Joannes à Baronibus & Ludovico graviter exagitatus, dum omnes thesauros suos sacrilegijs partes, per Welestremum transferre conatur fluvium, non aquis solum sed hiatu terræ absorptos perdidit, indeque nimio dolore moxque febris correptus vita excessit.
1217. Henricus Joannis filius regnum indeptus, insignem de Francis reportavit victoriam, Ludovico pacem petere coacto.
1218. Rex Henricus prædones regni coërcet, & bono publico consulit.
1219. Immature Henrico regi præripitur morte Willielmus regni Mareschallus, de regno optimè meritus, cujus insigne Epitaphium:

A. C.

- Sum quem Saturnum sibi sensit Hybernia, Solem
Anglia, Mercurium Normannia, Gallia Martem.
1220. Henricus altera vice coronatur, ipso anno Joannam sororem spondet Alexandro Scotiæ Regi. Translatio S. Thomæ Cantuariensis solemniter celebratur. S. Hugo Lincolniensis inter Divos refertur.
1221. Præsente utroq; Rege nuptiæ solemnissimè celebratæ sunt, & pax Scotos inter Anglosq; firmata.
1222. Stephanus Langtonus Archiepiscopus Cantuariensis claret, incomparabili ingenio vir, qui primus Sacram Scripturam in capita partitus est, & plurima ingenij magni reliquit monumenta.
1223. Mortuo Philippo Galliarum Rege, à successore Ludovico Henricus rex juxta pacta Normanniam repetit; Ludovicus pactorum violatorem asserit, atque nil porro se debere ostendit.
1224. Pergit Ludovicus multa adimere Anglo, & Rupellam multaq; Pictavorum loca occupat, Henrico à Baronibus Regni impedito.
1225. Henricus Rex fratrem suum Richardum in Vasconiam mittit ad recipienda quæ Gallus occupaverat, ipsumque Pictavorum Comitem renunciat.
1226. Falcasius Neuster olim Joannis Regis militiæ præfectus homo Sacrilegus. Numini dat pœnas miserè extinctus.

Henri-

A. C.

1227. Henricus totus ab Huberto de Burgo dependens, Tutoris monita respuit, arripensque imperium, Regnum exactionibus crudeliter vexat: contra quem Magnates insurgunt.
1228. Rex graviter offensus iniquitate propolarum mensuras omnes comburi imperat, & novas æquiore pretio confici curat.
1229. Anglus solemniter, à Magnatibus Guasconia, Aquitania & Pictavia ad recipienda amissa invitatur, sed dissimulat.
1230. Nunc primum in Minorem Britanniam Rex trajicit magno cum exercitu, nullaque re memorabili gesta inglorius revertitur.
1231. Reconciliantur denuo Angli cum Gallis. Richardus regis frater ducit Isabellam Glovernensem.
1232. Exactionibus regnum vexat rex Henricus; in præcipuos Aulae rigidè animadvertens, cum ipse tot expensas faceret.
1233. Pergit in suos insanire Rex, omnesque Aulicos, sibi que obnoxios honore dejicit, externos extollens, contra quem Richardus Marecallus insurgit.
1234. Richardo dum Hybernos subigere pararet interempto, complices conjurationis regi reconciliat Edmundus Archiepiscopus & pacem regno reddit.
1235. Isabella soror regis Friderico Imp. Augusto solemniter desponsatur.

† D 7

Ipse

- | A. C. | |
|-------|---|
| 1235. | Ipse Rex Alienoram filiam Raymundi Provinciae, Comitis uxorem ducit, nuptijs apud Westmonasterium celebratis. |
| 1237. | Iterum vexat Regnum exactionibus Henricus, contra quem Barones concitantur. |
| 1238. | Novi denuo motus in Regno, Rege quaedam Illustriorum filias exteris despondente. Baldevinus Imp. Orientis in Angliam venit. |
| 1239. | Nascitur Henrico Regi primogenitus Eduardus 15. Kal. Julij magno non solum Regni sed finitimorum plausu. |
| 1240. | Rex infanti Regi solemniter humagio Regnum obligare curat S. Edmundus in exilium concedit, & sancte moritur. |
| 1241. | Æternum Angliæ ornamentum S. Edmundus Cantuariæ Archi-Præsul magnus à morte miraculum commèdatur. |
| 1242. | Seductus Comitis Marchiæ & Pictavorum invitatione, auro recepturus & Pictavos non ferro Rex Angliæ, gravem à Gallo cladem accipit. |
| 1243. | Quinquennij inducias paciscuntur Reges Galliarum & Angliæ, hic domum revertitur. |
| 1244. | Collisi graviter inter se Angliæ & Scottorum Reges magno omnium plausu reconciliantur. |
| 1245. | Nascitur Regi Edmundus filius, magna cum oppressione pauperum venatur Regis gratiam, & thesauros Regis anget Ropertus Passelene Clerici indignus nomine Justiciarium agens. |

- A. C.
1246. Prolongantur induciæ inter Reges Galliæ atque Angliæ David Princeps Northalliæ multarum cladum author moritur.
1247. Elevatur solemnissime in præsentia Regis & Regina Galliâ corpus S. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis apud Pontiacum.
1248. Dum præter datam fidem Regnum exacti-
onibus novis gravat. Henricus III. in pu-
blico Regni conventu graviter arguitur,
& exteros ejicere, nec tantum in eisdem
elargiri jubetur.
1249. Rex Regnum purgat latronibus, in quos
rigide animadvertit. Alexander Scoto-
rum Rex moritur, succedit Alexan-
der.
1250. Ingenti terræ motu Anglia contremuit, &
mare terminis egressum ingentia passim
damna Regno intulit.
1251. Novis & gravibus exacti-
onibus vexatur An-
glia, mare denuo limites longè transgre-
ditur.
1252. Alexander Scotiæ Rex ducit Margaritam fi-
liam Regis Angliæ cui & humagium
facit.
1253. Rex rebus Ecclesiarum intentus, sacro au-
ro pro virili insidiatur, & bona S. Augu-
stini Cantuariensis quasi jure suo diripit.
Rex Hispaniæ Gasconiam sibi vendicat;
verum Anglo sororem Hispani, filio Ri-
chardo in conjugem impetrante, resti-
tuit.

- | A. C. | |
|-------|---|
| 1254. | Magna pompa prædictæ nuptiæ celebrantur. Rex hand leve apud Pictavos discrimen adit, magis Francis favere quam Anglis visus. |
| 1255. | Revertitur in Angliam, ubi denuo varijs exactioibus aurum emungit. |
| 1256. | Solemniter conveniunt apud Wodstock Rex Angliæ Henricus & Alexander Scotiæ Rex gener Henrici. |
| 1257. | Richardus Cornubię Comes, Henrici Regis frater, electus à Germanis Romanorum Rex solemniter evocatur, & Aquisgranum coronatur. |
| 1258. | Ingenti annonæ caritate & fame flagellatur Anglia, Proceres Regni conveniunt, ut Regis licentiam compeſcerent. |
| 1259. | Richardus Rom. & Germaniæ Rex in Angliam occurrens magna pompa à Rege fratre excipitur. |
| 1260. | Graves controversias profectus in Galliam Henricus cum Rege componit. Iterum reversus à Scoto visitatur. |
| 1261. | Inquietus Angliæ annus, dum Rex à magnatibus cogi renuit, qui ipsum Sacramento adegerant, ne tam prodige pro libitu Regni opes absque arbitris dispensaret. |
| 1262. | Wallenses armis Angliam turbant per Regis absentiam, qui in Gallias denuo concesserat. Eduardus exhaustis opibus revertitur. |
| 1263. | Intestinis motibus infelix annus, Magnatibus & Rege denuo decertantibus, dum hic exteris favere pergens opes dissipat. |

- A. C.
1264. In funestissimum denique prælium erumpit contentio, quo & Henricus Angliæ Rex, & Rex Rom. Richardus capti sunt.
1265. Rex libertati redditus sub nutu tamen Baronum vivit, donec Eadwardus Regis filius evadens occiso Leicestriæ Comite patrem liberat, mox denuo fortuna variante.
1266. Meliores Regis quam Baronum Regni successus, horum aliqui exilio damnantur, bona proscribuntur.
1267. Reliquiæ proscriptorum denuo invalescunt, sed ope Gallorum atq; Scotorum à Rege compescuntur.
1269. Richardus Henrici Regis frater Romanorum Imperator Comitibus Wormatiæ celebrat.
1270. Henricus Anglorum Rex diversis factionibus agitatur, dumque fratrem Imp. juvare nequit, hic invisus Germaniæ Principibus, quod nil porro largiri posset, in Angliam revertitur.
1271. Non inutilis fratri Regi Richardus, suo adventu varias tempestates & procellas dissipat, & pro Rege fortiter agit.
1272. Fatalis & Henrico Regi & Richardo fratri Imp. hic annus, ille Londini sepultus, & apud West-Monasterium conditus, iste Berchanstedæ obiit, & in Heylensi condito à se Monasterio tumulatus.
1273. Memorabili plausu Eduardus I. Regno inauguratur, & egregia avitæ virtutis edita specimina,

- | A. C. | |
|-------|--|
| 1274. | Mortitur Margarita Henrici III. Regis Angliæ filia Scotiæ Regina Alexandri III. uxor. |
| 1276. | Regno magna industria consulit Eduardus Rex usus integerrimorum virorum consilio, & Leges correxit. |
| 1277. | Scotos nova molientes, mira industria prævertit, cautissimum per omnia & vigilantissimum agens Principem. |
| 1279. | Post semel alterumque domitos Wallos, captum ipsorum Principem Leolinum interficit, & Principatum Regno adjicit. |
| 1280. | Walliam in novum redigit ordinem, Præfectis impositis qui nuper victus in obsequio retinerent. |
| 1282. | Leolinus Princeps Walliæ seditiosus capitur & decapitatur. |
| 1283. | Nunquam non inquieti Scoti, dum nationali accensi in Vicinos odio parant arma ab Eduardo absterrentur. |
| 1284. | Insigni pietate cum esset, Ecclesijs consulit, & hoc anno nobile Regiæ vallis Monasterium condit. |
| 1285. | Movet in Galliam Eduardus Rex, & litem gravissimam de Regno Siciliae inter Philippum Galliae & Petrum Aragoniae, Reges componit & dirimit. Nascitur Eduardus II. |
| 1286. | Reversus in Angliam magno suorum plausu, quod non minimum interea periculi à Scotis regno metueretur, solo adventu plurima mala discutit. Moritur |

A. C.

- tur Alexander III. Rex Scotorum, lapsus ex equo fractis cervicibus.
1287. Turbatissima à morte Regis sui Scotia, quod hæres masculus non esset, Alexandro Juniore ante patrem extincto.
1288. Rerum Scotiæ fatagit Anglus, frementibus Scotorum præcipuis, Joanne Balliolo Gallo rem suam & causam Eduardo Regi commendante, Scotis ad Brussios respicientibus.
1289. Eduardus Rex Judæorum improbitati & avaritiæ infensus toto regno exulare ipsos jubet.
1290. Factionibus scissa Scotia cum Anglis, Brussijs & Balliolis digladiatur, alijs alios hostiliter pellentibus.
1293. Eduardus rex cum Philippo Pulchro Gall. rege dimicat ob naves in Normannico littore interceptas, sed vincitur ad rionem. Joannes Balliolus rex Scotiæ coronatur.
1294. Pergunt hostiliter agere Gallus & Anglus, hic Burdegalim & maximam Aquitaniæ partem amittit.
1295. Edmundus Comes Lancastriæ Eduardi regis frater, prælio in Wallia cum hostibus conferto vincitur. Eduardus rex pacem cum Gallo sancit ad biennium.
1296. Balliolus Scotiæ rex, datæ Anglo fidei haud memor, Northumbriam invadit, gravi clade ab Eduardo profligatus. Moritur

- | A. C. | |
|-------|--|
| 1297. | tur Edmundus Comes Lancastris Regis filius & frater.
Joannes Balliolus denuo hostem agens, erga dese optime meritum, amissis 7000. Londinum captivus trahitur & Regno exiit. |
| 1298. | Scoti veriti ne Anglus sceptrum arriperet, dum pro aris & focis acriter dimicant, grandem cladem accipiunt, decem milibus ad Varium Sacellum maftatis. Eduardus pacem denuo cum Gallo in- iens Aquitaniam recipit. |
| 1299. | Afflictiffimæ Scotorum res, dum capto suo Rege, agnoscere Eduardum coguntur, & adorare quem pessimè oderant. |
| 1300. | Eduardus fortuna usus, nihil non stabilien- dis illis, quæ bello meruerat, molitur. Scotos Privilegijs antiquis elatiores, & audaciores, insigniter humiliat. |
| 1301. | Edmundus Comes Cornubiæ Richardi quondam Imperatoris Augusti filius sine liberis moritur. |
| 1302. | Joannes Cuminus Buchaniæ Comes, Pro- rex Scotiæ, memorabilem victoriam de tribus Anglorum exercitibus obtinet. Robertus Brussius ab eodem ad Roslinū triumphatur. |
| 1304. | Brussius omnem vertit Capidem Cuminij evectendi, incredibili laborans Regni adipiscendi desiderio. |
| 1305. | Cum de suis desperaret armis Brussius, in- fandam rem ausus Cuminium nil me- tuentem in æde sacra, cultello in viscera ad- |

A C.

- adacto interficit, Supplex Clementi V. absolvitur.
1306. Proin sublato æmulo facile rerum potitus, solemniter Rex Scotiæ idem Brussius inauguratur
1307. Eduardus I. Rex Angliæ in ipso belli adversum Scotos apparatu morbo decedit apud Lancastriam. Anglis nihilominus bellum prosequentibus bis vincitur Brussius.
1308. Eduardus II. primi filius, sed dissimillimus, Rex Angliæ solemniter coronat. Scotos apud Duncheldinum fugat.
1309. Scotos bello aggreditur novus Rex Angliæ, & nunc, & semper infelici successu, valide ab illis repulsus.
1310. Robertus Scotorum Rex, bis invadens Angliam, ingenti dives præda absq; certamine in Scotiam revertitur.
1311. Eduardus III postea Rex Angliæ, hoc anno nascitur patri & ipse dissimilis, sed verè generosus.
1312. Pravorum consiliorum auctores Spenferos, nimium effert Rex Eduardus, ipse ignavus, levis, inutilis & infelix à Scotis sæpius repellitur, non sine gravi clade.
1314. Congressus cum Scotis apud Sterlingium pugnat infeliciter Eduardus Rex.
1315. Robertus Brussius Scotorum Rex Angliam graviter armis vexat, & Eduardo Regi Bervicum eripit.
1316. Robertus cumeodem congressus adBannocum

A. C.

- cum fluvium, memorabili victoria Anglorum quinquaginta millia trucidat 9. Calend. Julij, alijs ipsis Calendis ejusdem mensis.
1317. Roberto, ob res benè gestas, Scoti de novo regnum confirmant, & restitutorem ac Patrem patriæ consalutant.
1319. Pessimorum hominum usus Consilio Rex Eduardus, Isabellam conjugem Philippi Gall. regis filiam æqua monentem pessime tractat.
1320. Invalescunt in regem inutilem, querelæ & odia, dum ipse non ignave solum, sed crudeliter imperat.
1321. David Bruffius Roberto regi nascitur filius. Thomas Lancastrius Edmundi filius jussu Eduardi I. occiditur.
1322. Pessimo rursus Consilio in optimos quosque optimatum Eduardus crudeliter grassatur, captoq; qui adversæ sibi erant factionis mactari jubet, omnium à se animos avertens.
1323. Scoti Angliam hostiliter vastant, nec quidquam obnitente Eduardo cujus exercitum profligant, & Eboracum occupant.
1324. Æqua monentem conjugem Eduardus una cum filio aula & Regno ejicit, pergens grassari pro libitu in omnes qui licentiam ejus averfarentur.
1325. Ab uxore & filio Gallorum ope subnixis, reducibus in regnum non sine plausu
Pro-

A. C.

1326. Procerum captus, arctè custoditur.
Vivente patre, Eduardus III filius, nuper exul, Rex consalutator & solemniter coronatur.
1327. Eduardus II. in custodia transmissus in anum per fistulam corneam ferro candenti, nullo exterius indicio immanissimi facinoris adustis intestinis miserimè perit.
Joan. Balliolus moritur.
1328. Eduardus III. primam in Scotos expeditionem suscipiens Bervicum ad ditionem adigit, mox pacem sancit, & cum Philippo VI. Gall. Rege de hujus Regni jure contendit.
1329. Robertus Brussius Scotiæ rex senio laboribus & morbo fractus vivere desinit.
Edmundus Comes Cantiaë patruus regis conjurationis insimulatus capite luit.
1330. Interregem apud Scotos Ranulphus agit Davide Roberti regis filio septem vix annos ætatis habente.
1331. Post Thomam ranulphum veneno sublato David puer sufficitur & coronatur.
1332. Contra Davidem Eduardus Balliolus ex captivitate Eduardi regis liberatus regno intruditur.
1333. David rex sive captus à Balliolo & in Gallias missus, sive quod alij volunt, dum adolesceret eo subductus, illic in spem regni educatur. Eduardus Balliolum fovet.
1334. Incertum qua causa offensus Eduardus, Balliolum bello petit, & Scotos

cri-

A. C.

- acriter premens Bervicum obsidet.
1335. Pergit jactari Scotia varia fortuna Balliolum versante, sed & gliscentibus Gallum inter & Anglum odijs, donec in bellum crudele erumperent.
1336. Eduardus quo magis res suas firmaret in Gallia Henricum Lancastrium Aquitaniae praeficit.
1338. Eduardus Angliae Rex, Principem non minus prudentem quam fortem agens, quiete usus, multa praecclare decernit
1340. Fervet bellum Anglo-Gallicum, Eduardo Rege hanc quasi jure suo coronam sibi deposcente, victi Galli ad amnem Clusium X. Cal. Jul. omnibus ferè intereptione deletis.
1341. Praelio contra Anglos Eduardus Balliolus Rex Scotiae vincitur & occiditur, Res Scotiae de novo turbantur.
1342. Dum ad Tornacum minus prosperè succedit Anglo, inducias cum Gallo paciscitur triennij.
1343. Atrociora odia quam ut paci acquiescerent, incertum quibus causis foedere rescisso Anglus Gallum invadit; hic Castellae atque Aragoniae Regibus foedere jungitur.
1344. Pulcherrimum Galliarum Regnum crudeliter vastat Eduardus, nullas morari se preces passus, quin fortunae suae adesset.
1345. David Brussius reversus in patriam, Rex Scotiae solemniter coronatur. Frustra Gallum Anglumque conciliare Papa conatur.

- A. C.
1346. Cruentissimo prælio profligatus ab Anglo Gallus ad Cresciacum trigenta suorum millia perdit, omnem florem Nobilitatis. David Rex Angliam infestat, & ingenti cum præda revertitur.
1347. Anglus post anni integri odsidionem Caloto potitur. 3. Non. Aug. Pergit infestare Angliam Scotus, & tempore utitur.
1348. Consulendum Angliæ ratus Eduardus eo accelerans in Scotos movet, quibus victis, Regem vivum in vincula rapit.
1349. Afflictissimæ Scotorum, dum absque Rege sibi constant, graviter ab Anglis vexari & oppressi.
1350. Dum Reges Anglusque Gallusque modicum respirant, & Regnis consulunt, morte intercipitur Philippus, succedit Joannes filius.
1351. Moritur Isabella Eduardi II. Uxor mater tertij, Philippi Pulchri filia, quam alij anno 1358. obiisse contendunt.
1352. Quietæ in Anglia res, magno boni publici incremento Eduardus se mire commendat, pace non minus egregium quam bello.
1354. Dum suasionem Innocentij Papæ prolatant inducias Reges, captus à Gallo Rex Navarræ, novis motibus causam præber, Anglo ad se causam trahente.
1355. Eduardus, ceu Navarræum ulturus, duplici exercitu, altero per Calitium immisso, altero ad Carcassonam, Gallias vastat.
1356. Rursum exitiali clade cæsi ab Anglo Galli ad Pictonū urbē Joanne Rege, Philippo filio-

A. C.

- cū 1500. Nobilibus in captivitatem abreptis.
1357. Navarraeus ante superum bellum data fide de non ulciscendo dimissus, afflictis afflictionem addit, & fædè grassatur in Anglorum gratiam. Henricus Lancastris Rhedones cogit.
1358. Pergit accendere Anglos adversum Gallos & pro viribus juvare. Moritur Henricus Comes Lancastris Dux Derbiæ.
1359. Inclinante fortuna Angli, versa in furorem Gallorum patientia, haud ita prospere pugnat hoc anno Eduardus.
1360. Gallum deniq; ad preces Papæ dimittit Eduardus, iniquis illi conditionibus, postquam tota fere Anglorum classis naufragio perijt.
1361. Henricus Junior Dux Lancastris primus bello clarissimus moritur.
1364. Joannes Galliarum Rex. dum, etsi afflictissimis rebus, sacro bello interesse cupit, & pacem sancire ac firmare cum Eduardo satagit, morte immatura abripitur.
1365. Carolus Joannis filium dum Eduardus de novo aggredi conatur B Urbanus V. Papa recrudescencia bella consopit.
1366. Eduardus cognomento Niger Princeps Walliæ Petrum Hispan. Regem ab Henrico fratre notho pulsum in Regnum restituit.
1368. Henricus IV. postea Rex Angliæ Joannis Lancastris filius nascitur. Joannes idem Rotomagum usque Galliam populatur. Leonellus Dux Clarentiæ Eduardi Regis filius moritur.

Eduar.

A. C.

1369. Eduardo Nigro Valliæ Principe Lemovicum diripiente & Galliam vexante B. Urbanus V. Papa, malum ut sopiret, ipse in Gallias proficiscitur.
1370. David II. Brusius Scotiæ Rex justitia & clementia memorabilis bonis malisque exercitus vita defungitur, Angli denuo Galliam tentant, facile depulsi cum vagarentur.
1371. Eduardus quo olim felicior nunc infelicior dum jura Ecclesiarum pervadit, nec Wicleffo obnititur, ad Rupellam gravem accipit cladem, classe capta aut merfa. Robertus Stuartus fit Scotiæ Rex.
1372. pergit nihilominus Eduardus, etiam iram Numinis expertus, Gallos armis persequi, sed fortuna semper sequiore, insigniter passim contusus.
1373. Aciores consurgunt, quo plus irritati Galli, Eduardo adversum sibi Numen vel non advertente, vel contemnente.
1374. Eduardus castigatione Numinis incorretior, Concilio Londini coacto decimas Sacris eripit in usus belli Gallici, Pontifice Romano vix belli inducias ad annum usque impetrante.
1375. Quiescunt aliquantulum duo Regna amplissima, non absque labore tamen, dum arma in sequentem annum pro viribus parant.
1376. Hunc nonnulli annum alij sequentem, fatalem Eduardo assignant, mortuo inter summum belli apparatus. Gallus quamprimum invadit Normanniam & multa occupat loca.

† E 2

Apud

- | A. C. | |
|-------|---|
| 1377. | Apud Anglos Richardus II. Eduardi Principis Walliæ filius imperat, homo impudens, futilis, insolens & infelix. Angli cum Gallo congressi acie internecione penè delentur. |
| 1378. | Dum conciliandorum Regum gratia Carolus IV. Imp. in Gallias occurrit, in reditu extinguitur, David Stuardus nascitur. |
| 1380. | Plurimum laborant in continendo Rege juvene ad omne malum præcipite Joannes Dux Lancastriæ & Edmundus Comes Cantabrigiæ Tutores, suo rigore deliri, & delirum reddentes. |
| 1382. | Vexatur subinde à Scotis Anglia, quibus tamen Tutores prædicti mature occurrunt, & pericula avertunt. |
| 1383. | Guesquinus Gall. Regis Equitum Magister oram maritimam Angliæ insitat, Aquitaniam vastat. |
| 1385. | Scotiæ Rex ab Anglis graviter pressus, Galli opem implorat, qui sexaginta navium classem subsidio mittit. |
| 1386. | Henricus V. Rex Angliæ nascitur, Joannis Gandavenfis filius. Joannes hoc anno adest Lusitano contra Castellanos. |
| 1387. | Sed & Edmundus Dux Eboracensis Joanni Lusitaniæ Regi subsidio missus fortiter agit. Nunc primum Henricum V. natum alij contendunt. |
| 1388. | Robertus Stuardus Rex Scotiæ ad Otterburnum insignem ex Anglis refert victoriam. Catharina Henrici IV. soror nubit Henrico III Regem Castellano. |

1389. Henricus IV. postea Rex, à Duce Norfolkiaë læsæ Majestatis accusatus in exilium eicitur.
1390. Richardus insolenter & Tyrannicè se gerens cunctis exosissimus redditur. In Scotia mortuo Roberto II. Regi, Joannes Stuartus filius sufficitur & coronatur.
1391. Pergit crudeliter tractare Anglos Richardus Rex, & bene meritos exilio mulctat.
1393. Male plerunque, nunc bene Regno consulens Richardus, Hiberniæ tumultus sedat, & 4. illorum Regulos in gratiam recipit.
1394. Moritur Anna Wenceslai Imp. filia, prima Richardi Regis uxor, improles.
1396. Alteram ducit conjugem Richardus Rex Isabellam Caroli V. Regis Gall. filiam miro Regni utriusque plausu firmata amicitia. David Stuartus à patre Rex renunciatur.
1397. Superbus nimium novo conjugio Richardus, temere impudenter omnia audet, alios inter Thomam Eduardi III Regis filium, mali animi in se suspectum singulari jubet.
1398. Henricum quoq; Ducem Lancastrium, sive benè monentem sive suspectum in exilium mittit. Moritur Joannes Lancastrius.
1399. Evocatur ab Anglis exul Henricus contra Richardum, quorum ope Regno potitur, captumque Regem fame enecat.
1400. Nunc primum fame evecum nonnulli Richardū volunt. Henricus IV. successor

A.C.

- Aquitanos rebelles armis compescit. Edmundus Eduardi III. filius Dux Eboracensis moritur.
1401. Henricus IV. Angl. Rex in perduelles movens, & Imperatorem prudentissimum & militem strenuum agit 36. manu sua interemptis.
1402. In Wallos movens, ipsa prioris Victoriæ fama ipsos consternatos facile compescit, & promptos advota habet David Rex Scotiæ à Roberto patruo fame necatur, digitis proprijs devoratis misere consumptus, Joanne patre mœrore absumpto.
1404. In Gallijs quoq; militari valore cognitus, Burgundionem primum contra Aurelianensem, mox hunc contra illum juvat.
1406. Novis Angliæ tumultibus excitus insigni cum exercitu Henricum Northumbriæ Comitem vincit & interficit.
1408. Optimis latis legibus præclare consulit Regno Henricus Rex, insigniter de Republ. meritis.
1409. Parricida Roberto absque tamen titulo Regis, Scotis imperante, satis quietæ res, tyranni potius metu, quam felicitate regnantis, qui omnem vitam perfidia corruerat.
1411. Magno patriæ luctu moritur Henricus IV. Rex Angliæ apud Westmonasterium ætate 46. succedente Henrico V. filio alijs ad annum 1413. mortem Henrici IV. differentibus. Ipso anno Alexander Stuartus, cruento prælio Donclum vincit.

Magna

A. C.

1413. Magna solemnitate coronatur Henricus V. qui mox duo Cænobia Bethleem & Syon prope Londinum fundat.
1415. Idem prælio cruentissimo cæsis 14000. Gallos ad Dagincurtum profligat. Richardum Cantubrig. & socios conjurationis reos securi in ipsis castris percûti jubet, al. sequenti.
1416. Joannes Dux Bedfordiæ Comes Candaliæ, Gallos navali prælio in Normannia vincit.
1417. Iterum Gallias invadit Henricus V. & Cadomum, Bellocassum, Lexovium aliaq; loca expugnat.
1418. Spe Galliam penitus subjugandi Henricus V. nihil non molitur, & ingentem exercitum comparat.
1419. Rotomagum s. mensium spatio fame cogit & subigit, & prospero rerum successu, Galliarum Rex, excluso Delphino, salutatur.
1420. Idem Trevis in Campania solemniter Galliarum Rex coronatur, resumptisque armis totum Regnum laborat subigere. Joannes Buchaniæ Comes Ducem Clarentiæ Regis Angl. fratrem clava dejecit. Robertus Stuartus Albanæ Dux ex Tutore parricida moritur.
1421. Edmundus Dux Somerssetti ab Henrico Normanniæ præfectus rem strenue gerit. Thomas Regis frater apud Bellifortium occumbit.
1422. Henrico V. nascitur filius Henricus VI. alij priore anno natû volunt, qui & Henricum patrem, hoc mortuum contendunt

- A. C.
- dunt, non sine veneni suspicione, succedit filiulus.
1423. Post longum interregnum Jacobus I. Scotiae Rex salutatur. Varijs nunc praëlijs Angli Gallos, & vicissim confectantur.
1424. Gallo auxiliares Scoti occurrunt, utrique victi, caësis fere quinque millibus & Duce Alenconio capto.
1425. Burgundus Anglis contra Gallos adest; ab his tamen ope Scotorum gravi clade vincitur, cum Gallis aliquot millib⁹ caësis.
1426. Continuatur bellum Gallicum ab Anglis & Joannes Bedfordiaë comes rem feliciter pro Rege suo agit.
1428. Angli denuo armis Gallis infestant, ut plurimas urbes suæ subigunt potestati.
1429. Ut confundat fortia DEUS puella Joanna pro instrumento utitur, quæ Aurelianum defendit, & multas urbes expugnat.
1430. Angli Joannam interceptam ignibus ut veneficam exurunt, cujus innocentiam, examine instituto, Pontifex summus asserit.
1431. Expugnat Parisios Carolus, Rex Gall. multis illic Anglorum millibus trucidatis.
1432. Angli recipiunt Parisios & puerum 10. annorum Henricum VI. Regem Franciaë & Angliæ solemniter illic coronant. Gallis interea Anglos ad Cadonum profligantibus.
1433. Eduardus IV. Richardi Ducis Eboracensis filius, postea Anglorum, contra Henricum VI. Rex nascitur.
1434. Pergunt opprimere Gallos Angli, & hoc anno Fanum Dionysij deditone occupant.
- Offen-

A. C.

1435. Offensus ab Anglis, an utilitatis propriæ causa Burgundus ad Gallos transit, haud leviter Anglorum viribus debilitatis.
1336. Vertente fortuna, Parisijs à Gallo expugnatis, multa Anglorum millia mactantur, præcipuis mox urbibus pari successu ad Gallos transeuntibus.
1437. Pergunt Galli Anglos Regno eijcere, & urbes ab illis occupatas expugnare. Jacobus I. Rex Scotiæ 28. vulneribus à nepote ex filio conficitur incredibili Regni luctu.
1438. Jacobus II. primi filius Edimburgi Rex coronatur, parentis optimi mortem ultus, de conjuratis meritum sumit supplicium.
1439. Idem Jacobus intestinis procerum dissidijs & seditionibus valde affligitur.
1440. Carolus Aurelianensis, diu in captivitate ab Anglis detentus, litro soluto dimittitur.
1442. Scotia una ex altera procerum seditione miserè quassatur optimo Rege sua vigilantia plurima bella discutiente.
1444. Scotorum exemplo, Angliæ quoque res turbatur concitatis Anglorum adversum Regem, ob Galliam perditam animis, Richardo imprimis Eboracensi adversæ factionis Duce.
1445. Eo progressi Eboracenses ut jurata in omnium oculis proderent odia, albam rosam pro insigni assumunt, dum rubram Lancastrij.
1446. Optimè meritis de Regno, ejus olim Regni Prorex, dū adolesceret Henricus VI. à patre

- | A. C. | |
|-------|---|
| | hujus constitutus Huafredus Glocestriæ Dux odijs Reginae Margaritæ & invidia Procerum laqueo necatur. |
| 1448. | Non intestinis solum motibus Anglia concutitur, sed quod induciæ non servatæ essent, à Scotis impugnatur. |
| 1450. | Congeminantur flagella Anglis Carolo Gallicarum Rege Normanniam invadente, in prælio 5000 cædēte, & 5 urbes adimente. |
| 1451. | Iterum congressus cum Anglis Carolus 4700. in acie profligat, plurimas Urbes occupat. Navarræum renunciare Anglis cogit. |
| 1452. | Desertissimi à fortuna Angli, Normanniam totam & Aquitaniam perdunt, quam jam 300. annis obtinuerant. Jacobus III. Rex Scotorum nascitur. |
| 1453. | Paulum respirant Angli, Nabotho Generali suo Duce aliquot in Gallia urbes recipiente, & præsidarios trucidante. |
| 1454. | Acerrimo in Petrocorijs prælio 13. Julij Angli prorsus profligantur, & Gallia eijciuntur, solo ipsis remanente Calitio. |
| 1455. | In supremo Anglorum luctu nascitur Henricus VII. ex familia Richemontia postea Angliæ Rex. Calitium se tueret. |
| 1456. | Edmundus Sommerfetti Dux, magna olim parta laude fortunam extremum contra Gallos tentans, pugnando occumbit. |
| 1459. | Richardus cognomento Plantageneta Dux Eboracensis consilium capit de evertendo Rege, & filio obtrudendo. |
| 1460. | Bello aggreditur Regem Richardus, & bis victor Regem captivum trahit, tertio con- |

A. C.

congressus cum Regina victus occumbit. Restaurat prælia Eduardus filius, & Victor Rex salutatur.

1461. Coronatur solemnibus applausibus Richardi filii Eduardus IV. Henrico VI. profugiente ad Scotum, & precario vivente.
1462. Dum firmando Regno rerum satagit, Eduardus, Richardus ejus frater, homo truculentus cum Warwicensi in eum conspirat Henricus VI. Scotorum auxilio Regnum repetens à Joanne Montaculo profligatur.
1464. Occulant odio dum possunt Warvicensis Comes & Richardus Regis frater, odia tamen de industria incendunt.
1467. Etsi nihil non bono publico curaret Eduardus, omnia tamen à malevolis sinistre accipiuntur.
1469. Erumpunt aperte odia, & proditor Regis frater Georgius cum Richardo Warvicensi, nil metuentem capiunt.
1470. Liberatus prædictorum & Reginae ope Henricus denuo Rex contra Eduardum salutatur hoc hoste regni declarato, qui Custodibus persuasus ad Carolum Burgundum fororium effugit.
1471. Hujus ope reversus in Regnum, Henricum captum in carcere interfici curat, frustra. satagentibus rerum Henrici Somersetti Ducibus, qui hoc ipso anno occubuerunt.
1472. Victor Eduardus in adversæ partis Principes rigide animadvertit & Richardum in primis Warvicensem è medio tollit. Jacobus IV. Scotiae Rex nascitur.

- | A. C. | |
|-------|--|
| 1473. | Eduardus quietissimè deinceps Regno positus, mansuetissimum agens Principem bono publico præclare consuluit. |
| 1474. | Ingenti cum exercitu movens in Galliam ut Carolo Burgundo adesset, inducias in multos annos impetrat. |
| 1477. | In Scotia non ita prospere omnia, Rege Jacobo in omnes voluptates effuso, Bodiiorum inprimis instinctu & scelere qui optimè educatum perverterant. |
| 1480. | Mansuetissimo cæteroquin ingenio Eduardus, sive delatione aliorum, sive suspitione ex priore scelere fratrem Georgium Clarentiæ Ducem in cado Melitenfis vini mergi jubet. |
| 1482. | Richardus III. Eduardi frater, ceu summa fide rerum fratris satagens Beraicum expugnat. |
| 1483. | Eduardus Regni depauperati egregius restitutor, commendatis in Tutelam fratri Richardo filijs & Regni hærede Eduardo moritur. Ille ex Tutore parricida 7. filios enecat, & Tyrannidem invadens coronam arripit prid. Non. Junij. |
| 1484. | Anna Tyranni Uxor, seu veneno sive mœrore confecta moritur. |
| 1485. | Richardus parricidio, perfidia & tyrannide omnibus exosissimus, vocato contra ipsum Henrico Richemontio ad Licestriam victus occiditur. cujus nudum corpus absq; honore sepelitur. |
| 1486. | Henricus Richemontij Comes miro omnium plausu Rex consalutatur & coronatur. |

- A. C.
1487. Idem felicissimis Regni auspicijs Lambertum alterum Tyrannum Hyberniæ incumbentes deiecit.
1488. Jacobus III. Scotiæ Rex totus voluptuarius eoq; suis contemptus & exosus à conjuratis occiditur, succ. Jacobus IV.
1489. Jactatur varijs seditionibus Henricus VII. quas admirabili prudentia abq; industria discutit & avertit.
1490. Idem Rex coacto exercitu Boloniam frustra oppugnat.
1491. Henricus VIII. postea Angliæ Rex nascitur IV. Kal. quarto Kal. Quintilis.
1493. Henrico Rex firmando Regno intentus, detectas denuo insidias & rebelliones cautè declinat & opprimit.
1495. Jacobus IV. Scotorum Rex, Regnum latrocinij infame purgat, justitiam revocat, patris patriæ titulum meritis.
1496. Nihil proficiente Henrici VII. mansuetudine, debito is ipse rigore in rebelles animadvertens pacem Regno restituit.
1499. Gliscentibus nihilominus rebellionum scintillis, nequa mascula proles Eboracensis superesset ad Regni turbationem, Eduardus Warwici Comes diu incarcerationis, interficitur.
1500. Arthurus primogenitus Henrici VII. Walliæ Princeps ducta Catharina Ferdin. Hisp. Regis filia, quato post mense moritur.
1501. Moritur Margarita Ducissa Somberfetti, uxor Edmundi Richemontij mater Henrici VII. Regis Angliæ, mater litteratorum, quæ Cantabrigæ duo fundavit

A. C.

- Collegia pro pauperibus studiosis.
1503. Elisabetha Angliæ Regina Pondini in puer-
perio decessit, mater Henrici Octavi.
1506. In Scotia Jacobo IV. Imperante prospera
omnia, ipso pacis artibus laudatissimo,
& bonum publicum fervide curante.
1509. Henricus VII. Rex Magnanimus, frugi, co-
mis ab omne factu abhorrens, Justitiæ
cultor integerrimus summo omnium
bonorum planctu moritur, succedit &
coronatur Henricus IIX.
1510. Henricus IIX, magna pompa primam ux-
orem ducit Catharinam Ferd Regis Hispa-
ni filiam, Alhuri fratris viduam.
1511. Jacobus IV. Scotiæ Rex arma contra Gallos
parans, Jacobum quintum filium Re-
gem coronari curat. Henricus IIX. auxi-
liares copias mittit Ferdinando socero
contra Afros.
1512. Eduardus Pola Dux Suffolitiæ, jussu Hen-
rici IIX. contra datam fidem decollari
jubetur.
1513. Jacobus Scotiæ Rex bello Angliam inva-
dens, virtute Thomi Havardi Surrei Co-
mitis cæsis 8000. profligatur & occi-
ditur.
1515. Joannes Dux Albinus proavus Jacobi VI,
dum Jacobus V. adolesceret Prorex Sco-
tiæ constituitur, Maria Henrici IIX. filia,
Angliæ Regina nascitur.
1516. Henricus IIX. Rex Angliæ, nimia auri siti,
nihil non molitur contra Ecclesiam &
Ecclesiasticos.
1519. Multi egregia eruditione & religione viri
Henrici

A. G.

- Henrici Regis conatibus sese strenue opponunt, prius quam erumperent.
1521. Eduardus Dux Buckinghamius sui generis ultimus, iussu Henrici IIX. securè percutitur, Henricus contra Lutherum scribit, ob id ipsum plurimum à Rom. Pontifice landatus.
1524. Idem Auream Rosam à Clemente VII. donum accipit. Joannes Dux Albinus, Prorex Scotiæ ab Hamiltonijs cæditur.
1526. Jacobus V. Scotiæ Rex ab Arcibaldo Duglassio Ediburgi obsidetur, & capitur.
1527. Idem Rex deceptis custodibus è captivitate in libertatem feliciter evadit.
1530. Henricus, si quis cæteroquin Regum alius, insigni prudentia Regnum gubernat, maxima inter Reges Europæ auctoritate, sub quo tamdiu felix Regnum extitit, quamdiu sacris manus abstinuit.
1533. Præceps deinceps in scelera Henricus Catharinam Hispanam legitimam conjugem repudiat, superinducta Anna Bolania, quæ mox coronatur, attonita super tanto scelere Europa universa.
1534. Semper deterior Henricus, omnia bona averfatus consilia tres PP. Carthusianos, sacri auri sitim in ipso daminantes ipsa mox capitis damnat.
1535. Similis paulo post Altissimo futurus dum summum sibi in Ecclesias jus temere arrogat, dehortantes Joannem Fischerum Roffensem Episcopum & Themam Morum Viros egregios 7. Julij capite imminuit.

- | A. C. | |
|-------|---|
| 1537. | Jana Semeria Regina partus doloribus extinguitur, servata sobole, Eduardo nimirum VI. alijs anno sequenti. |
| 1538. | Supenda temeritate arrogantia & avaritia, grassatur in res Ecclesiæ Henricus VIII. & monita piorum exhibilat. |
| 1540. | Henricus VIII. Annam Ducissam Cliviæ sponsam exambit, & magno plausu ducit, quam tamen post 6. menses repudiat. |
| 1542. | Jacobus V. Rex Scotiæ moritur Henrico VIII. Regni sibi jura asserente & possidente. Hayardam Catharinam superiore anno desponam adulterij insimulatam capite plectit. |
| 1543. | Iterum sponsus, iterum maritus Henricus VIII. mox suamet voluntate viduus, Catharinam Parram ducit, quæ ipsi supervixit. |
| 1547. | Extinguitur deniq; Henricus VIII. Rex Angliæ 3. Januarij ætatis 5. succedente Eduardo filio, ætatis anno nono. |
| 1549. | Joannes Feckenanus Eyishaimensis Monachus etiam inter vincula admirabilem Christi pugilem agit, ipsos hostes fidei in admirationem rapiens. |
| 1550. | In Scotia non minus quam Anglia Sectariorum ingens invalescit numerus, singulis nova dogmata propugnantibus, quæ usa hodie in mille flexus versantur & regyrantur. |

- A. C.
1552. Eduardus Dux Sommerfetti captus à Joanne Dulatio Comite Warvicensi capite truncatur.
1553. Moritur Eduardus VI. Angliæ Rex, 6. Julij, renunciatur Regina ejus soror Maria, postea Philippo Regi Hispan. desponsata.
1554. Maria Britannia Regina nubit solemnissimis nuptijs Philippo Hispaniarum Regi Caroli V. Imp. filio. capitur & mittitur in carcerem Elifabeth Henrici VIII. filia.
1555. Eadem pro viribus allaborat diversissimas sectas Anglia ejicere, plurimos obstinatos capitis damnans.
1558. Caletum urbem & portum celeberrimum Anglis eripit Henricus II. Gall. Rex opera Francisci Guisij. Moritur Maria Anglica Regina Hispaniarum, & mox Cardinalis. Polus.
1559. Succedit in Regnum Angliæ carcere liberata Elifabetha Henrici VIII. filia, variarum linguarum perita, quæ omnia Regni innovavit.
1560. Jacobus Stuardus Comes Arania cum Galis prope Chanburgum armis congregatur.
1561. Omnibus sectis Angliam patere jubet Elifabeth Regina, Prodit paradoxon: quod bona opera pernitiōsa sint ad salutem.
1563. Maria Jacobi V. regis Scotorum filia, solemniter inauguratur & coronatur Regina Scotiae.
1564. Eodem secundis nuptijs jungitur Henrico Stuardo Lenossensi Comiti.

Nasci-

- A. C.
1565. Nascitur Jacobus eo nomine VI. Scotorum Rex.
1567. Moritur Carolus Lenoxius Comes, patruus Jacobi Sexti Scotorum Regis, vir præstantissimus. Henricus Stuartus Rex Scotiae strangulatur. Capitur Maria Regina.
1568. Elabitur è custodia Elisabethæ juratissimæ hostis Mariae Scotiae Reginae Jacobi VI. optima mater.
1569. Jacobus Stuartus Araniae Comes, globotrajectus ab Hamiltonio, è vivis excedit.
1570. Diocletiani omniumque ante ipsum tyrannorum sævitiam antegressa Elisabeth Regina, stupenda tormentorum & suppliciorum adjuventione Catholicos interficit.
1572. Thomas Suffolciae Dux suspectus & accusatus læsæ majest. suspensus, & in 4. partes sectus è medio tollitur.
1575. In Scotia non minus quam Anglia laboratur plurima crudelitate in devotis Romanæ Ecclesiæ exscindendis.
1578. In Hibernia similiter, & hoc anno 40. Martyres Magiensis Cænobij ipso pervigilio Assumptæ B. M. V. obruncati, reassumptis capitibus Vesperas cælesti celebrantes Musicâ, rursus suo in sanguine consopiti sunt.
1580. B. Gelasius Abbas Boylensis promisso Archiepiscopatu & summis honoribus à Regina Elisabeth tentatus, omnibus Martyrij lauream præfert, miraculis à morte honoratus.

A. C.

1583

Carnificina continuatur sub auspicijs muliebris ingenij adversum Catholicos in Anglia, cujus cupreis laminis diversis libris, non sine horrore omnis posteritatis extant, ad vivum repræsentatæ imagines.

1585.

Evolat ad triumphos æternos è carceribus Joannes Feckenamus Abbas Westmonasteriensis, ipsi Reginæ visus incomparabilis, relictis summi ingenij præstantissimis monumentis.

1587.

Maria Scotiæ Regina, Jacobi V I. Regis Angliæ mater sanctissima confictis in innocentissimam gravissimis sceleribus gaudens ipsa capitis damnatur, & mira constantia moritur.

1590.

Pia in Christi Martyres videri Elisabeth poterat, in quos sæviens gloriam in cælis auxit, crudelior in eos quos amavit, Germanos inprimis, quorum plurimos, ut deperiret, ad cænam invitans. Perdidit, nusquam deinceps conspectos, dum ipsa Virgo videri vellet.

1593.

Primus Jacobi Scotiæ Regis filius Henricus Fridericus nascitur. Etiam novorum Fidei articulorum. Luthero Calvino alijsque valde contrariorum inventrix videri Elisabeth, satagit.

1594.

Inter tantas Angliæ nebulas, sydera varia mirifice exsplendescunt frendente infero, Gregorius Sayrus, Thomas Præstenus Anselmus de Mancestria plurimiq; alij.

Aurea

- | A. C. | |
|-------|--|
| 1595. | Aurea laborans siti Elisabetha tertium jam novum orbem tentat Francisci Draci opera. Nascitur Elisabeth Jacobi VI. Frederici Electoris Palatini filia, moritur Car. Lud. |
| 1596. | Franciscus Dracus post innumeros exantlatos labores peregrè dyssenteria, & similiter Ioan. Haukius moritur Robertus Essexiæ Comes Caletum Andalusiae expugnat & diripit. |
| 1598. | Elisabetha cum Galliarum & Hispaniae regibus pacem sancit. Angli potiuntur. porto Kicco. |
| 1600. | Carolus Angliae rex, non tam regno, quam in ludibrium fortunae nascitur. |
| 1602. | Vitam deniq; abrumpit, quae innumeros vita spoliaverat diversissimarum Sectarum mater & nutrix Elisabeth regina Angliae, quam jurati Sanctorum omnium hostes Wiccessitae exauctorata & expuncta 8. Sept. Matre Virgine, in digno se Calendario, substituere non sunt veriti. |
| 1603. | Creatur rex Angliae Jacobus VI. rex Scotiae Jacobi V. filius, in quo Chronologiam istam terminantes nimio rerum Anglicarum fastidio claudimus, dolentes plurimum, gentem olim florentissimam & religione concordi penè Anglicam, in tot revera nunc sententias & sectas, quot capita, in diversa quoq; rapi studia, imo quod ipsi sibi imposuerant & Ecclesiae suae caput, detruncare, cujus regni tot parricidialia odia & caedes, nulla satis posteritas admirabitur, quae calamitatum |

A. C.

tum portenta prius nullo modo definent, priusquam inducatur, quæ toto regno proscrip̃ta est, Primævæ sanctissima & felicissima concordia religionis.

DEUS Benedictus.



12-09



DI M X

X 11

J664

3918g

